munera ducendi exercitus, & zona militari ſolutus fuerit, A quod cùm illo falſis diis immolare noluiſſet. Baſilius quanta poteſt eloquentia nunc Gordium, mox alios quadraginta martyres celebrat, eò quod abjecto militiæ baltheo, relictis honoribus, ac dignitatum hujus ſæculi ſplendoribus, per glorioſum martyrium ad Chriſtum pervenerint.

Ignominioſa porrò fuit ea exauctoratio, qua Cæſar plurimos caſtris eiiciens, armiſque, & baltheis exuens milites, hos his Lucani verbis convenit.

Jam certè mihi bella geram, diſcedite caſtris,
Tradite noſtra viris ignavi ſigna Quirites.

Et apud Lampridium, legione loquente exautorata, cum nihilominus poſt illa fremerent, exclamavit Quirites, diſcedite, atque arma deponite. Mirando exemplo, depoſitis armis, depoſitis etiam ſagulis militaribus, non ad caſtra, ſed ad diverſoria varia diſceſſerunt.

Quia vero communi lege rei ante ſupplicium exautorari debent, ſicut, Gallus prætor apud Appianum: noſtro ſeculo idem tam in Belgica, quàm in noſtra Celtica Gallia ſervatum fuit. Nam Comiti Egmondano, Comiti Hornenſi, & Baronibus Battembergicis, prius detractus eſt aurei velleris torques B (domus Burgundicæ, ac Hiſpanicæ inſigne) quam ſublatum ex humeris caput. Cùmque Pariſiis Briquemaldus, deinde Mongomerius, læſæ majeſtatis divinæ, ac humanæ pœnas capitis daturi eſſent, prius advolantem vidimus fœcialem, qui ab illis torquem Michaelinum, Regibus Francorum dicatum, detraheret, quàm plecterentur.

☞ *Huc refer ex Loco de Excommunicatione quædam: Item de Principatu, & Principe. Ubi de abdicatione, & cauſis, cur à Principatu deiiciantur; Item penes quem ſit poteſtas abdicandi, latè diſſeritur.*

* Delatio, Delatores.

Definitio, & Etymologia.

DElationis vox nunc in bonam, nunc in malam partem uſurpatur. Ita Joſeph detulerat crimen peſſimum fratrum apud Patrem. Cùm autem in malam partem ſumitur, involuit obtrectationem, & occultam accuſationem, quàm Græci ἐνδειξιν, Hebræi Meloſcben, id eſt, lingua detulit, obtrectavit; appellant. *Vide Etymologicon Lugdunenſe, pag.240.*

C

Delatorum Præmia, Et Poenæ.

Fuerunt Imperatores, & Principes, qui delatoribus, & Sycophantis præmia decreverunt, ut pote tertiam, quartam, immò & dimidium bonorum eorum, quos tanquam reos detuliſſent. Tandem boni Principes infame hoc genus nebulonum palatiis ſuis ceu peſtes eliminarunt, ac pœnis graviſſimis mulctarunt, utinam imitentur moderni Principes!

Tiberius Imp. qui eorum malitiam expertus ante fuerat, omnes, qui inter eos præcipui erant, unà die occidi juſſit. Titius omnes Urbe expulit. Aurelianus quamvis ſeverus, quadruplatores, & delatores ingenti eſt ſeveritate proſecutus. Trajanus Cæſar omnes in navibus ſine remo, & velis, maris & ſcopulorum periculis objecit. *Vide Plin. in Panegyr.*

Bene, & ſcitè ille: *Invideat, qui non vidit,*
Invideat, qui vidit, & non pervidit.
Nec Momum metuo, nec Mimum.

Apophthegmata.

Pelopidas, cùm fortis quidam miles apud ipſum deferretur, ut qui ei convitiatus eſſet: equidem, dixit, facta ejus reſpicio, verba autem non audivi. *Stob. ſerm.40.*

D Socrates cuidam dicenti, de te aliquis malè loquitur, reſpondit, etiam verberet me non præſentem. *Max. & Anton. ſerm.53.* Idem rogatus cur loquax, & delator non eſſet ad colloquium admittendus, reſpondit, id ex benevolentia non oriri. Sed ut aliorum detexit arcana tibi, ſimiliter etiam, quæ tu dixeris, aliis exponet, *eod. ſerm.*

Cleantes cuidam dicenti, amicus clanculum te mordet, & tibi convitiatur: Hominem, inquit, ne arguito: quoniam idem palàm facturus eſt, aut facere poteſt. *Ibid.* Alii narranti quoſdam ejus famæ obloqui: at ego (reſpondit) ſic vitam inſtituam, ut illis nemo ſit crediturus. *Ibid.*

Alexander Macedo cum epiſtolam in medicum ſuum ſcriptam accepiſſet, ut pote vitæ regis inſidiantem, & jam ſumpturus eſſet ab eo potionem medicam, adeò non credidit delatori, ut ſimul & epiſtolam legerit, & pharmacum hauſerit. *Plut. in Alexand.* Idem fertur, cùm familiaris quidam multa in abſentem effutiret, alteram aurem obſtruxiſſe manu: nempe ut illam integram, & puram abſenti relinqueret. *Ant. & Max. ſerm.54.* Delatores non Admittere. ☞ *Quære Tit. de Mendacio.*

E Delatoribus credere. ☞ *Vide Tit. de Calumnia. Item ex Profeſſo in Tit. de ſimulatione mendacii. §. Mendacium approbat, credendo delatoribus.*

Non Semper Removendi.

Incidunt aliquando ea tempora, cautè monet F. Patricius, in quibus delatores admittendi ſunt, nam ea nonnumquam deferuntur, è quibus aut Principis, aut Reip. ſalus dependet. Certè ſi Julius Cæſar delatorios libellos è veſtigio lectitaſſet, neque eos pro animi magnitudine contempſiſſet, poteſtatem, & opportunitatem ſui interimendi conjuratis non præbuiſſet. Unde non ſemper probanda eſſet Caligulæ vox, & ſenſus: Idcircò delatoribus fidem præbendam ſibi non videri, quod nihil unquam admiſiſſet, cur cuipiam inviſus eſſe poſſet.

☞ *Hur refer quædam ex loco de Accuſatione, Calumnia, Maledictione.*

Delectatio.

☞ *Require* Voluptas.

Delectus ciborum.

F *Nempè qui certo cibi genere uſi.* ☞ *Quære Tit. de Cibo.*

Delectus ciborum. *Prout importat præceptum, ſive prohibitionem certorum ciborum cauſa religionis.* ☞ *Vide in eodem Titulo, & in titulo de Jejunio quædam, nonnulla inſuper Tit. de Abſtinentia.*

Delectus librorum ſcriptorum. ☞ *Require Tit. Librorum, & Lectionis. Ubi multa hujus Argumenti.*

Delectus militum. ☞ *Quære Milites.*

* Deliberatio.

Vide Arbitrium, Conſilium. Conſultatio.

Quæ in deliberationem cadant?

CAdunt in deliberationem non ea, de quibus ſtultus aliquis, vel inſanus deliberet, ſed de quibus ii, qui ſana mente ſint *l.3. Ethic. Ariſt.*

De rebus æternis nemo conſultat, nec ea in deliberationem cadunt, quæ caſibus fortunæ ſubjecta ſunt: ac res quidem omnes, quæ naturam attingunt humanam, cadunt in deliberationem. *Ibid.*

De iis conſilium capimus, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ut G eveniant: quoniam illa ſola reliqua ſunt. Singuli autem homines de iis deliberant, quæ per ſe ipſi efficere poſſunt. Nec verò de artibus, ac ſcientiis, quæ certæ ſunt, & ſeipſa contentæ, ullum conſilium capitur. *Ibid.*

Sæpè in deliberationem cadunt ea, quæ ab artibus, quam quæ à ſcientiis proficiſcuntur: propterea quod magis ea nobis veniunt in dubium. *Ibid.*

Conſilii capiendi deliberatio partim in iis rebus cernitur, quæ plerumque eveniunt: cùm incertum ſit, quam in partem inclinare, ac evenire debeant; partim in iis, quæ infinitæ, incertæque ſunt. *Ibid.*

Nunquam cadit in deliberationem finis: ſed ea duntaxat, quæ ad finem pertinent, atque conducunt, nec res ſingulæ quidem. *Ibid.*

* Deliciæ.

Quære Voluptas.

Corporalium deliciarum, & Spiritualium diſcrimen.

H

COrporales deliciæ, cùm non habentur, grave in ſe deſiderium accendunt: cùm verò habitæ eduntur, comedentem protinus in faſtidium vertunt: ac contra ſpirituales deliciæ cùm non habentur, in faſtidio ſunt: cùm habentur, in deſiderio. In illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat. In iſtis autem ſaturitatem appetitus, ſaturitas appetitum parit: Augent enim ſpirituales deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant. *Greg. in Hom.*

Corporales Noxiæ.

Perſarum Imperium olim fuit florentiſſimum ſapientia, & virtute bellica, ita ut Monarchiam penè orbis annis integris ducentis tenuerint à Cyro uſque ad Darium, qui per delicias, & luxum imperium cum vita perdidit. Ut notant hiſtorici.

Plura quære in Tit. de Voluptate, Imperio, &c.

* Delicati Qui.

Dicuntur quaſi deliciis aſſueti, & ineſcati, & transfertur ad eos, qui exquiſitis cibis appetitui, genioque ſuo ſatisfacere laborant,

laborant, de quorum genere *in Tit. de Conviviis* nonnulla adferuntur, ut etiam *de Cibis, de Abſtinentia, & his affinibus.* Eleganter Seneca. Innatum eſt ab illo mundi conditore, qui nobis vivendi jura præſcripſit, ut ſalvi eſſemus, non ut delicati. Deliciis miſerè, ac ſolicitè omnia comparantur. *In Epiſt.* Iſti hominum generi, quorum palato nihil ſapiat, quàm quod è peregrino ſolo, aut ſalo advectum eſt: quod præſtantiora aromata condiant, quod delicatior, & doctior manus aptavit, quod ars miſcuit, merito dici poſſet iſtud. *Juvenal. Sat. 5.*

Te nunc delicias, extrà communia cenſes.
Ponendum quia tu gallinæ filius albæ,
Nos viles pulli nati infelicibus ovis.

☞ *Exempla pete ex loco Conviviorum. Ubi de luxu eorumdem.*

Non Delicati.

☞ *Quære Tit. de Abſtinentia, & legatur S. Hieronymus l. 2. cont. Jovinian. & Plutarchus duabus oration. de eſu Carnium.*

Chæredemus Stoicus ſcribit, veteres Ægypti Sacerdotes, quo intentius, & acrius divinis rebus intenderent, carne, vino, ovis, & lacte abſtinuiſſe, quod his cibis libidinem accendi non B ignorarent, cujus fomitem obeſſe contemplationi ſciebant, ſi materia ſubminiſtraretur. Indos Gymnoſophiſtas omne deliciarum genus reſpuiſſe, & ſolis arborum corticibus, & ſylveſtribus fructibus victitaſſe, auctor eſt *Plut.* Socrates ciborum delicias ceu Syrenes fugiendas eſſe volebat, ac percontanti, quanam re ab aliis differret, quod alii, inquit, vivunt, ut edant; ego vero edam, ut vivam. Rogatus Jeſus Aſſyrius, quænam eſſent ſuaviſſimæ epulæ? reſpondebat: iſtæc curare deſii. Epicurus omnium voluptatum patronus, dicebat tenuitatem victus, vel plurimũ conferre ad jucundè, & ſuaviter vivendum, & teſtatur in Epiſtolis ſuis, ſe pane dumtaxat, & aqua ſolitum veſci.

Ægrotanti Pomp. medicus præſcripſerat, ut turdis veſceretur. Cùmque hi, quibus datum erat negotium, negarent inveniri (non enim erat tempus, quo genus avium hoc capi ſolet) admonuit aliquis, apud Lucullum inveniri poſſe, qui turdos toto anno ſoleat alere. Quid, inquit, Pompejus? contemptoque medico, cibis parabilibus uſus eſt. O vere maſculum animum, qui ne vitam quidem deliciis acceptam ferre ſuſtinuit.

☞ *Exempla Chriſtianorum, & alia Ethnicorum, jam dictis affinia, petantur ex loco de Abſtinentia, Jejunio, Carnium eſu. Ciborum delectu, &c.*

C

* Delphini.

DE Delphinis, Piſcium genus eſt, mira ſcribunt veteres cùm Hiſtorici, tum Poetæ. Quomodo ſcilicet, unus Arionem præcipitatum à nautis latronibus in mare, ſalvum, & incolumem, ſibi inſidentem, cum cythara: nec non Palæmonem Philautum, Taram, & alios è mari ereptos in portum adduxerit. De Puero etiam referant, quem adeò Delphinus deperiit, ut conſpectu illius viveret, eoque deficiente, moreretur. Telemachum quoque Ulyſſis filium ſcribunt, cùm adhuc puer in maris littore luderet, in aquas decidiſſe, ac mox Delphinorum beneficio receptum, qui puerum ſubvexerint, & in littus expoſuerint. Idcircò patrem Delphinorum inſigne adamaſſe ſtudioſius, ejuſque imaginem in enſe, & ſcutis habuiſſe, atque in annulo expreſſiſſe, ut ſigilli loco ei deſervierit.

☞ *Huc refer pleraque ex Tit. de Gratitudine. Ubi rara exempla referuntur grati animi hujus Piſcis erga benefactores.*

* Democratia.

D Id eſt, *Populi Imperium, à δήμω & κρατέω.*

☞ *Conſule Locum de Politia. Politiæ interitus. Ubi Democratia in tyrannidem verſa. Item Politiarum forma.*

Ad Regimen Democraticum, *ſive Popularem gubernationem.*

Requiſita.

PRimum. Ut magiſtratus à populo conſtituatur, atque ab eodem ſumat auctoritatem, ipſa enim plebs ad jus dicendum ſedere nequit. Quocirca M. T. Cicero initio 2. Agrariæ, Conſulatum, qui ſummus erat in Rom. Republica magiſtratus, populi beneficium vocat, ut ad cujus ſuffragia illi creabantur.

Secundò, appellatur à ſententia magiſtratus in rebus gravioribus, ad judicium populi. Quod in Rom. Republ. conſuetum fuiſſe teſtatur *T. Livius l.2. & 4.* & de Athenienſium Republ. idem docet *Plut. in Solone.*

Tertiò, leges, quibus Reſpublica gubernanda, proponuntur à magiſtratu quidem, ſed à populo jubentur. Ut iterùm conſtat ex *Livio l.3.* Et ex orationibus Ciceronis de lege Manilia, & de lege Agraria *ad Pop. Rom.* E

Quartò, Magiſtratus apud populum accuſatur, judicatur, condemnatur, deponitur. Sic Romani Tarquinium conſulem cognomine Collatinum, propter minus gratum nomen Tarquiniorum, magiſtratu ante tempus privarunt, ut ſcribit *Liv. l.2.*

Iidem cùm decemviros conſtituiſſent, eoſdem invitos poſtmodùm depoſuerunt, teſte *Livio l.2.*

Vitia, Et Defectus.

Democratica gubernatio, ſive regimen populare, non rarò degenerat in ſeditionem, eſtque mutationibus obnoxia, ut obſervat *Franc. Patric. l.1. de regno, Tit.3.* hanc autem mutationem ob id fieri notant hiſtorici, & Politiæ magiſtri, quod primo in hac multùm poteſt ductorum populi, & adulatorum ἀσελγεία, petulantia; qui divites calumniis onerant, excitant popellum contra potentes, ac nobiles. *Ariſt. 6. Polit. & in hunc Caſus Demoſthen. 4. Philip. & contra Androcionem, Theocrinem, Ariſtogitonem, Cicero 2. Agraria, Plutarch. de Curioſitate, Iſocrates de Permutatione.* Unde Piſiſtratus Athenienſium Rempubl. evertit, & tyrannidem invaſit: cum inopum cauſam adverſus divites tuendam ſeſe ſuſcipere fingeret. F *Plut. in Solone: Polyæn. l.1.* Meneſtheus, qui Athenienſi plebi, objecto libertatis ſomnio, adulatus eſt: poſt pulſo Theſeo ipſe regnum obtinuit. *Plut. in Theſeo.* Alcibiades, qui blanditiis ſuis ad res multas novas feneſtram aperuit, Remp. turbavit. *Idem in Nicia* Ephialtes, qui ibidem Senatus Areopagi fregit potentiam, civibuſque affatim libertatem propinavit, qua, inſtar luxuriantis equi poſteà deſiit populus audire principes: inſultare in inſulas cœpit. *Idem in Pericle.* Et apud Romanos Gracchi, Saturnini, Rulli, & alii Tribuni plebis, à populo cum plauſu excepti, & approbati. De quorum origine, ac authoritate legendi, *Feneſtella, cap.10. Lætus c.18. Blond. lib.5. Plut. in vita Gracchorum, Alex. ab Alex. l.5.*

Deinde nimia ſæpè poteſtas ductorum uni, & alteri conceditur: ubi ambitio tyrannidem excitat: ſimiles tales canibus evadunt, qui ad gregis cuſtodiam aluntur: interim, aut famis intemperantia, aut prava conſuetudine in gregem ſæviunt. *Plat. in regno, Ariſt. 5. Polit. c.5. Cicero 2. Agraria.* Hinc Clearchus Ponticus ab Heracleotis nimium evectus, crudeliſſimus ſimul, ac ſuperbiſſimus factus, adorari ſeſe poſtulavit: veſtes diis familiares induit: civium plurimorum G necis, atque interitus author extitit. *Polyæn. l.2.*

Accedit huc plebis primo inconſtantia, & levitas, quæ mutationibus crebris delectatur: ſecum poſt pugnat in electionibus, & aliis: tum imperitia magna laborat: poſtremò quaſi naturale odium adverſùs nobiles habet, *Ariſt. 5. Polit.* Quæ omnia Athenienſis Reſp. eſt tum experta, cùm per quadringentos primum, deinde triginta tyrannos; poſt Caſſandrum labefactata: rurſus per Theramonem, Traſybulum, & Demetrium reſtituta eſt. *Sig. de Rep. Athenienſi l.1. c.5.*

Apophthegmata.

Lycurgus cuidam poſtulanti, ut in civitate pro Ariſtocratia, hoc eſt, optimatum gubernatione, conſtitueret Democratiam, hoc eſt, popularem gubernationem: Tu fac, inquit, prius domi tuæ Democratiam inſtituas. Compendio docuit, eam Reipublicæ ſpeciem non eſſe utilem civitati, quam nemo vellet eſſe in ſua familia. Civitas autem nihil aliud eſt, quam magna domus. *Plut. in Lac. & Stob. ſerm.83.*

Democratiæ Laudes.

H

Sed neque democratia ſuis privanda laudibus eſt. Cùm enim multitudo dominatur, nomen omnium pulcherrimum, & ſpecioſiſſimum ἰσονομίας, æqualitatis juris obtinet. *Herod. lib.3. in orati. Othonis. Dion. l.52. in orat. Agrippæ.* Neque Reſpubl. ulla præterquam populari in ſtatu conſiſtere videtur: in qua ſcilicet populus publica (urbem theatra, ærarium, leges, honores) in commune quærit: iiſdem perfruendis ſumma voluptate afficitur. Et cùm homines ex Diis ſint orti, ad eoſdem quoque redituri: ſurſum reſpiciunt, nec ſub unius imperio eſſe volunt: neque ferunt, ſed laborem, periculorum, impendiorum participes, rerum meliorum communicatione privari *Dion. l.52.* Et ut natura alterum altero, neque opibus, neque honoribus ſuperiorem fecit: ita popularis ſtatus hunc ſibi propoſitum finem habet, ut omnia omnibus æqua ſint. Et eſt profectò hoc æquiſſimum, ut qui eandem naturam acceperunt, ex eadem gente ſunt orti, iiſdem educati moribus, iiſdem legibus inſtituti, eundem corporum, & animorum

morum patriæ uſum exhibent, omnium quoque cæterorum A communitatem habeant. *Dion.l.52.Iſocr.in Areopag, & contra Lochetem. Pauſan.in Meſſenicis. Guicciard.l.2.* Et quidem ſic ab initio, exemplo avium, homines politiam cœperunt, ut communis eſſet labor, communis dignitas: per vices ſinguli partiti curas diſcerent: nemo eſſet honoris expers, nullus immunis labore. *Ambr.in Hexamero.* Habet præterea finem libertatem, qua nil melius, aut præſtantius, vel conceptis expeti votis poteſt. *Ariſtot.1.Rhet. c.8. Patric.de Republ.lib.1, T.4.* Et, ut æquiſſima eſt Democratia, ita contra iniquum videtur, paucorum imperio multos regi, & eos, qui re quidem tenuiore, cæteris verò nihilo deteriores ſunt, magiſtratibus, ac honoribus excludi: cùmque patria ſit communis, alios regnum obtinere, alios inquilinorum loco eſſe, & natura cives lege Reip. functionibus privari. *Iſocr. in Panegyr.* Nec prætereunda commoda ſunt Democratiæ inſignia, & propter, quę claris, ac magnis civitatibus Democratiæ utiles judicantur. *Iſocr.in Areop.* Sunt ſiquidem ibi communia, & bona, & mala: nihil adverſi alteri, proſpera cuncta quiſque optat: aliorum miſericordia calamitates proſequitur. *Dion.l.52.* Atque ita avaritia tollitur, ſervatur amicitia. Sunt hic clementiora, B & humaniora omnia, quam in paucorum, & unius dominatu. *Demoſt. in Androcionem.* Nihil agitur inſolenter, quia ſorte Magiſtratus eliguntur, & quidem adminiſtrationis ſuæ rationem reddere coguntur. *Herod.l.3.* Nemo alium ſervitio premere audet, cujus ſucceſſionem metuere cogitur. *Ambr. in Hexamero.* Etiam libertas in loquendo veritate nixa minime hic cohiberi poteſt: quæ cùm metuitur, verecundia oritur; homines ad honeſtè vivendum, res capeſſendas præclaras excitantur. *Demoſt. in funebri orat.* Collectim præterea univerſi, quam viritim ſinguli, magis proſunt: prudentius, ac ſubtilius conſulunt multi, quàm pauci: non ſecus, atque cœna illa lautior eſt, atque copioſior, quæ multorum ſumptibus, quàm quæ unius apparatur: & collectæ in corpore vires plus poſſunt, quam ſeparatæ: & multi melius de Muſica, quàm pauci: & carmine univerſi, quàm ſinguli Judicant. *Ariſt.Pol.3.c.7. & in hunc Caſus.* Idque vel natura, vel experientia, vel judicio ſimplici, & corrupto. *Patric. l.1. de Rep.T.4.* Nec quicquam optabilius, aut jucundius eſt, quàm, ſublato Tyrannidis metu, libertatem à natura cuique datam recuperare. Quæ ita eſt jucunda, ut etiam beſtiæ delectationis cauſa concluſæ, licet copioſius alantur, quam ſi eſſent C liberæ, non tamen facilè contineri ſeſe patiantur. *Cic.l.5.de finibus.* Neque ulla de cauſa alia popularis gubernationis orta αὐτονομία videtur, quàm aliorum tyrannide: quàm cum ferre non poſſent homines, ſe in libertatem vindicarunt. *Plat.l.3.de legibus.* Accedunt huc incommoda, quæ maximè in Ariſtocratia ſeſe offerunt. Cùm enim multi ab honoribus arceantur, injuriæ autem impatiens natura humana eſt: virtutis comes invidia naſcitur. *Ariſt.Pol.3. c.7.* Et dùm inter paucos virtuti ſtudetur, privata odia excitantur: unde factiones, & ſeditiones. *Her.l.3.* Ubi verò pauci iſti auctoritate immoderata Remp. gerunt. Tyrannorum Reſpub. eſt metuenda, qui eo uno tyranno erunt pernicioſiores, quo pernicies omnis capitalior, ac nocentior multiplicata, quàm ſola, eſt: vel propter opinionem ſaltem diverſitatem, ambitionem, varias cupiditates; ubi diuturna concordia ſperari non poteſt. *Guicciard.l2.* Exemplo eſt Sicyoniorum Reſp. quæ relicta Democratia, Tyrannos eſt multos ferre coacta. *Plut.in Arato:* & Romana, cum Decemviros habuit, qui decem Tarquinii ſunt, ob ſuperbiam, dicti. *Livius l.3.Decad.1. Dion. lib.10. & 11.Oroſ.l.2.c.23. Eutrop. l.1.c.12. Florus, l.3.c.24. Vola-* D *terranus, l.2.c.2.* & Athenienſis, cum triginta à Lyſandro nomine ἁρμοσταὶ conſtituti, & cuſtodes, re vero Tyranni crudeliſſimi fuerunt. *Diod.Siculus l.14. Sigon.de Republ. Ath.* & Polonia, cum mortuo Lecho, primò duodecim Palatinis gubernacula credidit: poſt eligere Gracum coacta eſt. *Crom. l.2 Polon. Hiſt.* & Gallia, quæ Hilder. IV. expulſo, ſuo è numero Ægidium elegit, jus qui diceret; ſed aliis aſſumptis: unde ſuſpiciones, & criminationes ſunt variæ exortæ. *Paul. Æmil. Veronenſ.in hiſt. Gallic.* Atque hæc non paucos moverunt, ut Democratiam reliquis Rerump. formis anteponerent. Sunt, præter alias non paucas Germaniæ civitates. Reſp.Helveticæ, montanæ maximè, quæ populares, ac viritim ſuffragia ferunt. Athenienſis urbs, omnium prudentiſſima judicata, populariter extitit: ac diù expers tyrannidis, inviolata à barbaris, libera à ſeditionibus fuit, *Iſocr. in Areop. & Paneg. Herod.l.5. Xenoph. de Rep. Athen. Suid. Pauſ. in Meſſenicis, Plut.in Solone, Pericle, & Ariſtide, Alex.ab Alex.l.1.c.17. Sigon.de Repub. Athenien.* Neque Romana Reſp. ab hac abhorruit, cum Tribunos delegit, de quibus *Liv.lib.2. Decad. 1. Dionyſ.lib.5. Feneſtella cap.10. Blond.l.5. Lætus c.28. Alex. ab Alex.l.5.c.2. Plin.Secundus de viris illuſtribus, c.18. Sigon. de vetere jure Romanorum.* E

Solon dicere ſolebat, eum principem ſibi maximè glorioſum videri, qui Democratiam ex Monarchia civibus faceret. *Phavorin.& Stob.ſerm.46.*

* Demonſtratio.

Definitio, & Etymologia.

DEmonſtratio vocatur Ratiocinatio, quæ ob id ſcientiam gignere dicitur, quod illa animo comprehenſa à ſtatim rem ſcimus, *l.1.de Demonſt.c.2.T.5.* Dicitur Græcis Ἀπόδειξις ab Ἀποδείγνυμαι, quòd eſt evidenter perduco ad rei alicujus cognitionem.

Demonſtratio eſt ratiocinatio, quæ adhibetur ad docendam cauſam, cur res ſit: in univerſo autem genere cauſa maximè continetur. *l.1.de Demonſt.c.20.T.30.*

Demonſtrationes à principio ducuntur: & habent finem ſibi quodammodo propoſitum, vel ratiocinationem, vel conclusionem. *l.1.de Anim.c.3.T.48.* F

Ex prioribus, ac notioribus conſtat omnibus demonſtratio *l.1.de Demonſt.c.3.T.6.*

Omnis, qua quippiam demonſtratur, probatio, conſtat propoſitionibus, aut omnino neceſſariis, aut quæ plerumque ita fiunt *l.1.de Demonſt.c.24.T.43.*

Neceſſe eſt, demonſtrativam ſcientiam ex iis ſumptionibus conſtare, quæ & veræ ſint, & primæ, & ut ſic dicam, immediatæ, & notiores, & priores, denique & cauſæ concluſionis. Nam ſi hæc ſint omnia, fiet, ut accommodata ſint ad id, quod demonſtratur, principia: Quanquam enim poſſit eſſe ratiocinatio, ut ſimul hæc non ſint omnia in demonſtratione: tamen ſunt neceſſaria, alioquin ut rem ſciamus, nunquam efficiet. *l.1.de Demonſt.c 2. T.5.*

Apud Rhetores eſt cauſæ genus Demonſtratio, quod circa laudem, vel vituperium verſatur. τὸ ἐπιδεικτικὸν Græcis. Juriſconſulti vero Demonſtrationem accipiunt pro notitia rei factæ, unde à conditione diſtinguunt, quæ futurum reſpicit. *Vide Bart.in l.Demonſt.item l.ff.de Donat.*

Dens.

G

Quid Sit. Et Etymologia Vocis.

DEns notæ ſignificationis vox, quaſi edens, ut ὀδοὺς ab ἔδω ait Scaliger. fortaſſis melius à demendo, id eſt, comminuendo cibum dixeris. Hinc Dentale lignum eſt, cui vomer ad arandum inditur; & Dentatus, qui magnos habet dentes: Edentulus, qui nullos.

Nati Cum Dentibus.

Hiſtoriæ ſcriptor ait, Arſamen Perſam natum eſſe dentatum. *Antigon.de mirab.narrat.*

Xanclen Samothracenum civem, cui renati eſſent dentes poſt centum, & quatuor annos, Mutianus viſum à ſe prodidit. *Plin.l.11.c.37.*

M. Curius, & Cn. Papyrius Carbo, viri clariſſimi, cum dentibus nati ſunt: eam ob cauſam Curius Dentati cognomen meruit. *Plin.l.7.c.16.*

Valeria Romæ cum dentibus nata, regum temporibus. Sueſſam Pomeriam illa tempeſtate florentiſſimam urbem depopulata eſt, reſponſo aruſpicum vaticinante, exitio civitati, H in quam delata eſſet, futuram. Veridico exitu conſecuto. *Plin.lib.7.c.16.*

Mithridatis regis filia Drypetyne, Laodice regina nata, duplici ordine dentium, deformi admodùm, comes fugæ patris à Pompejo devicti fuit. *Val.Max.l.1.c.8.*

Recitat Albertus, ſe vidiſſe Hominem anno octogeſimo cui naſcebantur dentes. Neque tamen hoc adeò mirum eſt cùm ſupra vigintiocto omnibus communes, quatuor ſint, qui ſapientiæ vocantur, qui poſt trigeſimum annum oriuntur. *Cardan.de Rerum varietate l.8.c.43.*

Haraldus Danorum rex Uvaſetum Scaniæ præfectum tyrannum oppreſſurus, ipſo nuptiarum die mendici habitu ſumpto, omnibus mero, ac ſomno ſopitis, nuptialem thalamum trabe aperuit. Ejus buccam Uveſetus ita abſque vulneris inflictione fuſte quaſſavit, ut binos dentes excuſſerit. Quorum jacturam poſtmodum inſperata molarium eruptio ſarcivit. Inde Hyldetæ cognomen traxit: quòd eum quidam ob eminentem dentium ordinem aſſecutum affirmant. *Saxo* A *libro 7.*

Ordines.

Herculem fuiſſe triplici dentium ſerie, Jonis Chii proditum monumentis eſt. *Cæl.l.4.c.3.A.L.*

Timarchus Nicoclis filius Paphii, duos ordines habuit maxillarum. Frater ejus non mutavit primores, ideòque præterivit. *Plin.l.12.c.37.*

Diſtinctio.

Euryphæus Cyrenæus in ſuperiore maxilla unicum os continuum vice dentium habuiſſe legitur. μονόδους Feſto Pompejo dicitur.

Poſt pugnam ad Platæas commiſſam, in qua Perſarum innumeri ceciderunt, cùm mortuorum oſſa comportarent unum in locum Platæenſes, inventa eſt maxilla cum eo, quod ſuper maxillam eſt habens dentes etſi diſtinctos, tamen ex uno oſſe univerſos tam molares, quàm cæteros. *Herod.l.9.*

Pyrrhus Epirotarum rex dentes non habuit diſcretos, ſed erat ſuperiore gingiva perpetuum os diſtinctum quaſi lineis, quibus deſignabatur dentium interpunctio. *Plut.in Pyrrho.*

Prusias Pruſiæ regis filius, pro ſuperiori ordine dentium B unum os æqualiter extentum habuit, nec ad ſpeciem deforme, nec ad uſum ulla eſt parte incommodum. *Plut.l.7.c.16. Solin.c.9.Val.Max.l.1.c.8.*

Puella nobilis è gyneceo Ducis Lunembergenſis, duo oſſa gingivis loco dentium inſerta habuit.

Color.

☞ *Vide Tit. Formoſorum.*

Zenobia Palmyrenorum regina, fuit inter cæteras formæ laudes tanto dentium nitore, ut inter loquendum, ridendumque non dentibus, ſed candidis margaritis plenum os habere videretur. *Petrarcha ex Trebellio.*

De Thaide, & Leucadia *Martialis Epigr.l.5.*

Thais habet nigros, niveos Leucadia dentes.
Quæ ratio eſt? emptos hæc habet, illa ſuos.

Egnatius quidam Hiſpanus Catulliano carmine innotuit. De eo namque ſic ſcribit:

Egnatius quòd candidos habet dentes,
Renidet uſquequaque: ſeu ad rei ventum eſt
Subſellium, cùm orator excitat fletum,
Renidet ille; ſeu pii ad regum filii
Lugetur, orba cùm flet unicum mater,
C *Renidet ille; quicquid eſt, ubicumque eſt,*
Quodcumque agit, renidet. Hunc habet morbum
Neque elegantem (ut arbitror) neque urbanum
Quare monendus es mihi, bone Egnati.
Tu præter omnes une de capillatis
Cuniculoſæ Celtiberiæ, fili
Egnatis opaca quem bonum faciat barba,
Et dens Hybera defricatus urina,
Si urbanus eſſes, aut Tiburs.
Aut parcus Umber, aut obeſus Hetruſcus,
Aut Lanuvinus ater, atque dentatus,
Aut tranſpadanus (ut meos quoque attingam)
Aut quilibet, qui pariter lavit dentes:
Tamen renidere uſquequaque te nollem:
Nam riſu inepto res ineptior nulla eſt.
Nunc Celtiberus Celtiberia in terra
Quod quiſque minxit, hoc tibi ſolet manè
Dentem, atque rufam defricare gingivam:
Ut quò iſte veſter expolitior dens eſt,
Hoc te ampliùs bibiſſe prædicet loti.

D Æthiopes habent admodùm candidos dentes. Cujus rei cauſam naturales referunt in mandibularum calorem excoctum humorem eis detrahentem, ad eum modum, quo cera albeſcit calori Solis expoſita. Lege Ariſt. *l.de hiſt.animal.c.9. & in Problem.ſect.10.q.65.& 66.*

* Dentium Natura.

Ut puta Generatio, ortus, numerus, diſtinctio, Finis.

Ac primùm Materia.

Dentium materiam eandem, quæ eſt oſſium, aſſeruit *Ariſt. 3.de gener.animal, c.4.* Niſi quod dentes tota penè vita creſcant: ut in iis videre eſt, qui mutuum tactum declinant.

Ortus.

Oriuntur dentes, & è mandibulis emergere incipiunt ordinariè poſt ſeptem menſes. Deinde poſt ſeptimum annum, qui primi emerſerant, decidunt, alique ad ſolidum cibum aptiores ſubrogantur. Nullum autem animal ordinariè permutat maxillares. *Ariſt.l.2.de hiſt.animal.cap.x.*

Diſtinctio. Et Numerus.

Habet homo ordinariè Dentes 32. rarò plures, nonnunquam E pauciores, eorumque multitudine vitam diuturniorem indicari plures exiſtimant. Uno ordine utraque maxilla 16. continet.

Primores, & *Inciſorii* nuncupantur ii, qui parte anteriore conſtituti, utrinque quaterni acuti. Canini ſunt utrinque duo, ad inferiorem baſim lati, ſuperiori parte acuti. Sequuntur *Maxillares*, utrimque quaterni, aſperi, lati, & prædu-ri, ac magni, ex his tres intimi, & ultimi, Genuini vocantur, qui circiter vigeſimum annum gignuntur. Phraſis veterum erat, genuinum frangere. Ita Perſius, & *genuinum fregit in illis.* Satyra 1. pro eo quòd eſt, clàm detraxit quia hi dentes velut occulti ſunt, & acuti, in poſtrema mandibulæ parte. Nonnulli circa annum 80. nati feruntur genuini. Primores, & Canini unica radice infiguntur: maxillares binas, vel ternas habent, immò & quaternas: niſi quod inferiores unam minus habent, quàm ſuperiores.

Cæterùm in animantibus alia dentium diſcrimina, alii ſunt ſerrati, alii contigui, alii exſerti. Quales habent canes ſerpentes, piſces. Mantichoræ vero beſtiæ ſunt crudeles, & humanis carnibus gaudent, de quibus *Ælian.l.7. c.2.* tripli- F cem dentium ordinem habent. Contiguos dentes habent homines exſertos, apri, & elephantes. Cornigera autem animalia rarius habent dentes utrimque diſpoſitos: ſed loco dentium in aliqua partium, muniuntur cartilagine dura, quæ miniſterium dentium ſubeat.

Finis.

Natura dentes animantibus elargita eſt, communi quidem officio, ad conficiendum cibum. Privatim tamen ad alia munia: homini ad efferendum diſtinctum ſermonem, cujus regimen tenent Primores, dum ictum linguæ excipiendo concentum reddunt, belluis aliis ad pugnam. Unde quantumvis exiles ſint, hac armatura inſidiantibus obſiſtunt. Lege *Ariſt. 3.de part.animal.c.1.Galen.Lib.12.de uſurpat.*

Dentifragium.

☞ *Supplicii genus apud veteres, de quo vide Tit. de Suppliciis.*

* Depoſitum.

G

Definitio, et Etymologia.

DEpoſitum, Græcè παρακαταθήκην, & eſt, quod cuſtodiendum alicui datum eſt, *ut habetur ff. depoſiti. lib. in princ.* ſive contractus, quo aliquid traditur cuſtodiendum, ut integrum reſtituatur, *Ex l.1.ff.depoſiti.* Differt autem à mutuo, quia depoſitum datur ad utilitatem dantis, ſed mutuum ad utilitatem accipientis. *B.Thom.22.q.62.a.6.*

Deponere, eſt apud ſequeſtrum collocare. Hinc depoſitum dicitur.

Usurpatio.

Uſurpatur aliquando hæc vox, ut extenditur ad res ſpirituales. Quomodo S.Paulus commendat Timotheo depoſitum ſuum cuſtodiat, *1.ad Timoth.c.6.* intelligens doctrinam ſanam quæ ei tanquam Epiſcopo erat credita. Quin à Chriſto apud Eccleſiam, & Apoſtolos fuerat depoſita. Videat Lector, quæ eruditè in hunc locum Script. commentatus eſt *Corn. à Lapide.* Idem Paulus *in 2. Epiſt.ad eundem Timoth.c.1.* meminit depoſiti ſui: quod intelligunt Theophylactus, & Anſelmus, eſſe Apoſtolatum ſuum, & prædicationem Evangelii, puta H theſaurum laborum, & paſſionum pro Evangelio à ſe obitarum, quæ apud Chriſtum depoſuit, ut repoſcat præmium, atque hoc ſenſu Chriſtus dixit, quod vendentes omnia, quæ habent, ſint habituri theſaurum in cœlo. *Matth.19.*

Lex Depoſiti.

Lex depoſiti lata eſt, & promulgata per Moyſen inter alias Leges judiciales. *Exod.c.22. verſ.9.10.11. & 12.* ubi triplex circa depoſita caſus, & ratio tradunt. *Primò*, ſi depoſitarius, id eſt, is, apud quem res erat depoſita, & commendata: per fraudem rem depoſitam interverterit, reddet duplum, ita decernitur *verſ.2.* ubi quod dicitur, applicabitur ad Deos, idem eſt, quod ſiſtetur Iudicibus. *Secundò*, ſi non admiſerit fraudem, ſed per ejus negligentiam res depoſita ſublata ſit furto, reddet rem ipſam, aut pretium. *verſ.12.* *Tertiò*, ſi ſine illius negligentia, aut ſcitu res furto ablata fuerit, cenſebitur innocens, nihilque reſtituet, dummodo intermedio ſe juramento purgaverit. Id decernitur. *verſ.10.& 11.*

☞ *Con-*

A ☞ *Conſule Tit. de Punitione, §. Depoſiti fraudulenti pœna.*

Exempla Historica. Et Apophthegmata.

Pittachus, dictum ejus celebratur: Depoſitum, quod acceperis, juſtè reddito. *Stob.ſerm.9.de juſtitia.*

Ancilla quædam depoſiti nomine pecuniam acceperat à duobus hoſpitibus, hac conditione, ut eam utriſque ſimul redderet. Horum alter poſt tempus aliquod lugubri veſte, & ſqualidus ſocii mortem ſimulans, decepta muliere nummos abſtulit. Eo facto ſupervenit alter, & depoſitum repetere cœpit. Cùm mulier anxia de laqueo cogitaret, Demoſthenes ei patronus adfuit, qui ut in advocationem venit, ſic aggreſſus eſt petitorem: Mulier, inquit, parata eſt depoſiti fidem ſolvere, ſed niſi ſocium adduxeris, id facere non poteſt: quoniam ut ipſe prædicas, hæc dicta lex eſt, ne pecunia alteri ſine altero numeretur. Hoc ingenio ſervavit miſeram, eluſitque nebulonum conſpirationem, qui hoc egerant, ut eandem pecuniam bis acciperent. *Val. Max. l.7.c.3.* Apud Indos, ſi quis mutui depoſitione fraudetur, non venit in judicium, ſed ſeipſum accuſat is, qui credidit. *Stob.ſer.42.* Apud Piſidas graviſſima ſemper depoſiti cauſa agebatur: apud quos ſi inven-
B tus eſſet, qui fraudaſſet, mortis crudeliſſimo ſupplicio afficiebant. *Idem ibidem.*

☞ *Conſule Locos de Fraude, Perfidia, injuſtitia.*

Deprecatio. Deprecari.

☞ *Vide* Oratio.

Pro Quo. Pro *Seipſo.*

Ezechel rex, cùm reſponſum accepiſſet, theſauros, quos Babyloniis gloriæ cupiditate oſtentaverat, iiſdem futuros prædam, delicti conſcius: Bonus eſt, inquit, ſermo Domini, ſit tantùm pax, & veritas in diebus meis. Non negavit, juſtum eſſe Dei adverſùm ſe judicium, ſed mala differri deprecatus eſt: ob hoc ſolùm, ne theſauris chariorem pacem amitteret. Et quoniam pro pace, non pro divitiis oravit, quoad vixit, poſteà hoſtem non vidit. *Mar.l.3.c.6.* Pro ſui ſeculi tranquillitate oravit, de poſteris parum ſollicitus. An verò plurimum? Sciebat ſibi cum Deo miſericorde rem eſſe: à quo ſi ipſe, qui peccaſſet, dilationem pœnæ impetraſſet, multò magis poſteros veniam deprecando adepturos confidebat.

C *Aliis.*

Deprecatus eſt Dominum David rex pro parvulo ex Berſabea ſuſcepto, & jejunavit: & ingreſſus cubile, jacuit ſuper terram. 2. *Reg.7.*

Apud Quem. Apud *Deum.*

Romani ſi quando horrenda prodigia viſa, vel audita eſſent circa omnia delubra, fanaque, & pulvinaria, in quibus honos diis dabatur, concurrebant. Senatores, & patricii cum conjugibus, & liberis plerumque coronati, nonnunquam omnes tribus, & ordines, præeunte pontifice maximo, al quando duumviris, præcedentibus pueris ingenuis, & libertinis, item virginibus patrimis, & matrimis coronatis, vel auream tenentibus manu, voce modulata pronunciantibus carmen, prælata pompa, frequentes ſupplicare, & pacem deorum expoſcere ſolebant. *Alex. ab Alex. l.5. c.26.*

Homines.

☞ *Sequentibus exemplis illuſtretur.*

Quæ Mala. Puta. *Vitioſitatem.*

D Chorus Senum Athenienſium apud Eurip. in Heraclidis optat ſibi dari modeſtiam, quia Deus puniviſſet ſuperbum Euryſtæa, Argivorum regem:

μή ποτ' ἐμοὶ φρόνημα,
ψυχά τ' ἀκόρεστος εἴη.

Utinam nunquam ſit mihi ſpiritus inſolens, & anima inſatiabilis.

Ignominiam.

Cùm Perſeus Macedoniæ rex bello captus deprecaretur, ne in triumphum duceretur: Id in tua, inquit, L. Paulus Æmilius, eſt ſitum manu, poteſtatem ei faciens ſe ipſum necandi. *Plut. in Apophtheg.*

Reditum in patriam.

Ænienſes excitati à Lapithis, primùm circa Athaciam incoluerunt, deinde apud Moloſſos, & Caſſiopos. Eam regionem cùm parum commodam experirentur, graveſque haberent accolas, in campos Cyrrheos rege ductore Onoclo conceſſere: ubi Onoclum, quòd ingentes ſqualores ſucceſſiſſent, ex oraculo, ut fama obtinet, lapidibus cooperuerunt, iterùmque palatos hæc accepit regio, quam nunc obtinent bonam, & E feracem. Hinc illos, qui bovem abducunt Æno Caſſiopeam, proſequens Virgines uſque ad fines accinunt:

μήποτε νοκήσαι τεφίλαν ἐς πατρίδα γαῖαν
Iſthic vos nunquam dulcem in patriam remeetis.

Deos ſcilicet precantes, ne veterem patriam repetant, cæterùm illic in felicitate hæreant. *Plut. in quæſt. Græcis.*

Caſum adverſum.

C. Jul. Cæsar dictator poſt unum ancipitem vehiculi caſum ſemper ut primùm conſediſſet, carmine ter repetito ſecuritatem itinerum aucupari ſolebat. Cujus exemplum multi poſteà imitati ſunt. *Plin. l.28.c.2.*

Condemnationem, Supplicium.

Romæ mos erat, ut tam ipſe reus, qui capitis acceſſitur, cùm ad populum producitur ad judicii diem, quàm amici, & neceſſarii, quique proximi aderant, priùſquàm in ſuffragia tribus irent, ſqualida, obſoletaque veſte, flentes, & ſordidati, barbam, capillumque ſummittant, & pœnam deprecentur: ut eo ſqualore, & habitu deformi, populum ad miſerationem, pietatemque adducerent. *Alex. l.3.c.5.*

Apud Eoſdem reos laudatio judicialis ſervabatur, ut amici F ad miſerationem populum flecterent. Quod deinde Pompejus lege lata fieri vetuit, qui cùm Numatium Plancum in judicio laudaturus poſteà acceſſiſſet, Cato, qui judex aderat, aures manibus obſeraſſe fertur, dicens, laudationem, quam lege à ſe lata fieri prohibuerat, lege averſante audire nolle, quòd legum ipſe lator, & everſor eſſet. *Idem.*

C. Lectorius adoleſcens patricii generis, in deprecanda graviore adulterii pœna, præter ætatem, atque natales, hoc quoque patribus conſcriptis allegavit, ſe eſſe poſſeſſorem, ac velut æditutum ſoli, quod primùm D. Auguſtus naſcens attigiſſet, petiitque donari quaſi proprio, ac peculiari Deo, Decretum proinde, ut ea pars domus conſecraretur. *Suet.*

Bellum.

Helvetii, qui primò fuerant, ad Carol. Burgundiæ ducem de pace miſſi legati, & deprecatores, inter alia demonſtrabant: tantam eſſe ipſorum inopiã, ut calcaria, & equorum frena per ipſius exercitũ, pluris deberent æſtimari, quam omnis ea pecunia, quæ ex ipſorum agri cogi poſſet. *Phil. Cominæ l.7. Comment.*

Mortem,

Iphigenia *apud Euripidem* patrem Agamemnonem mortem deprecatur patheticè admodum. G

Mortem ſenilem deprecatur Solon *apud Ciceronem lib. de Senectute*, his verbis:

μηδέ μοι ἄκλαυστος θάνατος μόλοι ἀλλὰ φίλοισι
καλλείποιμι θανὼν ἄλγεα καὶ στοναχάς. id eſt.
Ne mi illugubris veniat mors, ſed mihi charis
Mœrorem potius adferat, & gemitus.

Vult enim Solon mori charus, ac deſiderandus ſuis.

Quomodo. *Simplici optione.*

Medea reſpondens Jaſoni, indicanti cauſam quare ducat filiam Creontis. *apud Eurip. in Medea*, inquit.

μή μοι γένοιτο λυπρὸς εὐδαίμων βίος,
μηδ' ὄλβος, ὅστις τὴν ἐμὴν κνίζοι φρένα.

Ne mihi contingat moleſtiam habens locuples vita: neque divitiæ, quæ meum diſcrucient animum.

Solonis votum paulò antè recenſuimus: cui quidem contrarium eſt Ennii illud:

Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu
Faxit. Cur! Volito viva per ora virum.

Conjuncta cum obteſtatione, invocatione, ceremonia. H

Mos erat olim apud Græcos famem virgis ex ædibus eiicere, *ἔξω βούλιμον, ἔσω πλοῦτον καὶ ὑγίειαν.* id eſt: foras famem, intrò divitias, & ſanitatem *Eraſm. in Adag.*

* Deriſio, Irriſio.

Definitio, & Etymologia.

Deriſio, Græcè, *καταγέλασις*, & *καταγέλαστος*, ridiculus: *καταγελάω, καταμωκάω*, derideo dicitur. Eſt autem, cùm aliquis malum alicujus perſonæ, vel defectum in ludum, vel riſum ponit, ut erubeſcat, & verecundetur. Deriſionis finis eſt, ut erubeſcat. Convitiatoris verò, ut tollat honorem. *B.Thom. ſecunda Secundæ, q.75.*

Hebræi deriſorem, nugatorẽ appellant, à verbo *Hetſel*, doloſus fuit, fallaciter egit, nugatus eſt, illuſit: Inde *ὑθλέω*, nugor: *ὕθλος*, nugæ: *ὑθλοφόρος*, nugigerulus. *Labagh* ſignificat deriſit, illuſit, ſubſannavit. Cognationem habet cum *Hilleg*, balbus: nam deriſores, ut ſecurius aliis illudant, balbutiem neſcio quam fingunt, & dum alios rident, toti apparent ridiculi.

Exempla

Exempla S. Scripturæ.

A *Qui quos deriſerunt, & quo eventu.*

Viri Socoth, & Phanuel deriſerunt Gedeonem, Zebee, & Salmana perſequentem. Sed indè malè eis accidit, quia malè eos poſteà tractavit. *Jud.8.* Michol videns Regem David ſaltantem ante arcam Domini, deſpexit eum, quia nudum eum vidit. Et poſtmodùm inſultando, vel deridendo, dixit: Quàm glorioſus fuit hodie rex. 2. *Reg.6.* Quia pueri illuſerunt Eliſæo, dicentes: Aſcende, calve: duo urſi ex ſylva prodeuntes lacerarunt quadraginta duos ex eis. 5. *Reg.2.* Excæcato Tobia, parentes, & cognati ejus irridebant vitam illius, dicentes Ubi eſt ſpes tua, pro qua eleemoſynas, & ſepulturas faciebas? *Tobiæ 2.* Uxor Job, maritum, amiſſis omnibus, toto quoque corpore ulceroſo in ſterquilinio ſedentem irriſit. *Job.c.2.* Cùm audiuiſſent Athenienſes reſurrectionem mortuorum, quam annunciabat Paulus, quidam irridebant; quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterùm. *Act.17.* Princeps unus acceſſit, & adoravit Chriſtum, dicens: Filia mea modo defuncta eſt, ſed veni, impone manum ſuper eam, & vivet. Et ſurgens Jeſus ſequebatur eum, & diſcipuli ejus. Cùmque veniſſet in domum Principis, & vidiſ-
B ſet tibicines, ac turbam tumultuantem, dicebat. Recedite, non eſt mortua puella, ſed dormit, & deridebant eum. *Matth.c.9.* Poſtquam Chriſtum crucifixiſſent, qui præteribant, blaſphemabant eum. Similiter & Principes Sacerdotum illudebant ei, dicentes: Si Rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei. *Matth.27.* Ita paulò ante milites plectentes coronam de ſpinis imponebant capiti ejus, & arundinem dabant in manu ejus, ac genua coram eo flectentes, illudendo dicebant: Ave, Rex Judæorum. *Ibid.* Herodes quoque Jeſum ad ſe miſſum ſprevit cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit Pilatum. *Lucæ c.23.*

Exempla Historica.

Gomacharius Comes, qui adminiſtrabat Provinciam à Leovigildo Rege Ariano profectus, agrum Eccleſiæ urbis Agathenſis pervadit anno 583. Tunc Leo Epiſcopus hujus Eccleſiæ valdè mœſtus concurrit ad eum, dicens: Relinque, fili, res pauperum, quas ordinationes noſtræ Dominus commendavit; ne ſit tibi noxium, & à lacrymis egentium, qui de fructibus ejus ali conſueverunt, enecceris. Ille verò, quia hæreticus erat, parvipendens quæ de his ab Epiſc. dicebantur, rem in ſua dominatione retinuit. Interim procedente die, arripitur à fe-
C bre. Cumque non modò ardore corporeo, verùm etiam animæ vexaretur incommodo, miſit ad Epiſcopum nuncios, dicens. Dignetur pro me ſacerdos orationem ad Dominum fundere, & ego dimittam agrum ejus. Quo orante, hic à valetudine, qua gravabatur, convaluit: factuſque ſanus ait ſuis: Quid putatis, quod iſti nunc Romani dicant: Ajunt enim me ob hoc febre fuiſſe gravatum, quòd tulerim agrum eorum, mihi juxta conſuetudinem humani corporis accidit. Verùmtamen non habebunt cum me vivente. Quod cùm Epiſcopus comperiſſet, venit ad eum, dicens: Num pœnitet te feciſſe bene, quòd hoc iterùm conaris evertere: Ne facias, quæſo, ne ultioni divinæ ſubjaceas. Qui ait ad Epiſcopum Sile, ſile, decrepite: jam infrenatum te loris circuire urbem ſuper aſinam faciam, ut ſis in ridiculo omnibus, qui te aſpexerint. At ille ſilens ad nota recurrit præſidia. Proſternitur in oratione, celebrat vigilias, & noctem totam in lacrymis, & pſallentia ducit. Mane autem facto accedit ad lychnos, qui de camera Eccleſiæ dependebant, extendenſque virgam, quam tenebat in ma-
D nu effregit cunctos, dicens: Non hìc accendetur lumen, donec ulciſcatur Deus de inimicis, & reſtituat res Eccleſiæ ſuæ. Hæc eo dicente, protinus hæreticus ille in redivivam febrem corruit. Cùmque in extremis ageret, miſit ad Epiſcopum, dicens? Oret pro me ſacerdos ad Dominum, ut vivam? & reſtituam agrum, ac ſimilem ejus conferam dominationi. Quibus Pontifex reſpondit: Jam oravi ad Dominum, & exaudivit me. Miſit & alios, & tertios ad eum nuncios: ſed ſacerdos in uno reſponſo perſiſtens non movebatur hæc, ut pro eo orationem daret ad Dominum. Hæc ille hæreticus cernens juſſit ſe in plauſtro componi, atque ad eum evehi, ac per ſe deprecari Epiſcopum, dicens. Quia dupla ſatisfactione reſtituo agrum, quem iniquè pervaſi, tantùm ut oret pro me ſanctitas tua. Illo quoque recuſante, compulit eum vi, ut abiret ad Eccleſiam. Quo diſcedente, ut Eccleſiam eſt ingreſſus, & hic ſpiritum exhalavit: recepitq; confeſtim Eccleſia rem ſuam. *Greg. Turon. de gl. martyr. l.1.c.29. Baron. to.7. ad annum 583.*

Gregorius Nazianz. & Baſil. fratres Cappadoces; & duo Apollinares Syrii, viri in omni doctrinæ genere, cum laude exercitati, egregiè res, & ſententias Chriſtianorum tractantes, & confirmantes Jul. Imperatoris Apoſtatæ verſutam calliditatem, E ſtrenuè refellerunt ſacrarum litterarum teſtimoniis, clarè oſtendentes longè eum à recta de Deo opinione abeſſe. Imp. eas ipſas litteras irridens, & religionem noſtram ludibrio habens, ad Primarios ejus temporis Antiſtites hæc verba de libris noſtris ſcripſerat: cognovi, damnavi. Ad quem nomine omnium quendam ita reſcripſiſſe ferunt: Legiſti, ſed non cognoviſti: ſi enim cognoviſſes, non damnaſſes. Baſilii verò reſponſum id eſſe dicunt, qui eo tempore Cappadociæ Epiſc. Eccleſias regebat. *Niceph. Calliſt. l.10. hiſt. Eccl. c.25.*

S. Lud. Franc. Regi, qui magnæ fuit humilitatis, ac ſimplicitatis in veſtibus hoc ei peculiare fuit à Deo munus, ut inter ſe diſcordia laborantes ut plurimùm conciliaret. Quam fuerit autem Deo grata tanti Regis humilitas, Rex Regum, omnium Chriſtus Dominus evidenti miraculo declaravit: Comes Gheldriæ nuncium cum litteris miſerat Pariſios, illico rediturum. Ex eo reverſo ſciſcitatur Comes, num Regem Franciæ Ludovicum vidiſſet? Tum ille ſubſannans, collumque contorquens: Vidi (inquit) vidi illum miſerum papillardum Regem, griſea F indutum, ad ſcapulas caputium geſtantem. Vix verba finierat, & ecce facies ejus retrorſum acta, ita contorta permanſit. *In vita Lud. Regis apud Sur. tom.4.*

Utherpendragon Rex Britonum diuturna infirmitate vexabatur, & principes Saxonum Octa, & Coſa, quos tenebat in vinculis, cum cuſtodibus carceris fugerunt in Germaniam, commoveruntque innumerabilem armatorum manum, & reverſi ſunt, Inſulam vaſtaturi. Rex autem infirmitate decubans ducem belli poſuerat generum ſuum; ſed ignavia civium, atque ſuperbia plurimum quidem eis nocebat; hoſtibus autem majorem audaciam, atq; fortitudinem miniſtrabat. Cùmque dubia inter eos alternaret victoria, ut Rex hoſtes ſua pugna deterreret ſe deferri ad prælium juſſit, qui poſitus, in vehiculo, & ad bellum delatus, ſuos quidem animavit, ſed hoſtibus riſum fecit, quod ſemimortuus homo ad pugnam veniſſet. Congreſſu inito Britones victoriam obtinuerunt. Saxonumque Duces Octam, & Coſam interfecerunt. Tunc rex hilaris effectus tanquam ſanitatem recepiſſet, erexit ſe, & ait: Vocabant me ſemimortuum Ambrones iſti; ſed malo eos ſemimortuos ſupereſſe, quàm incolumis ſuperari. Præſtantius eſt enim mori cum honore, quàm cum pudore. *Chron. Sigebert. ad an. Dom. 467.*

Anno Domini 1328. Philipp. Valeſius Gallorum Rex in cauſam Comitis Flandriæ cum Flandris Roſbekæ propè Caſle- G tum congreditur. Ante congreſſum, cùm Flandi Gandenſes viderent tantas Regis copias, in procinctu cum auri flamma appropinquantes, arroganter depingunt Gallum ex tela Cannabacea, quem hoc diſticho circumſcribunt. Cùm Gallus hic cecinerit, Franc. Rex victor erit. Cæterùm magno conſtitit deriſio: ex Flandris enim ceciderunt unde viginti millia hominum, cum octingentis. *Auctor Maris hiſt. an. D. 1328.*

Vide exemplum huic loco valdè opportunum, de Gallis etiam cæſis Antuerpiæ anno M.D.LXXXIII. poſtquam paulò antè Flandros, quo nomine Belgas generatim exprimebant: Lutetiæ Pariſiorum in ſcenam adduxiſſent, tanquam excordes.

☞ *Habetur Tit. de Corde.*

Deſertum.

☞ *Quære Tit. de Loco.*

Deſiderium.

☞ *Vide Cupiditas. Amor.* H

* Deſidia.

Vide Negligentia, Ignavia, Pigritia, Acedia.

Quantùm noceat eſſe deſidioſum, docet ſubjuncto exemplo Ovidius.

Quæritur, Ægyſthus quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.
Pugnabant alii tardis apud Ilion armis,
Quo tulerat vires Græcia tota ſuas.
Sive operam bellis vellet dare, nulla gerebat,
Sive foro, vacuum litibus Argos erat.
Quod potuit, fecit: ne nil ageretur, amavit:
Sic venit ille puer, ſic puer ille manet. Lib. 1. de Remed. Amor. ☞ *Conſulatur Tit. de Otio, & Diligentia. Unde quædam huc referentur, quatenus otium, deſidiam adjunctam plerumque habet? & Diligentia eam extirpat?*

* Deſperatio.

A

Definitio, & Etymologia.

DEſperatio Græcè ἀπογνωσις eſt juxta Ciceronem *lib.* 4. *Tuſcul.* ægritudo ſine ulla expectatione meliorum. Poteſt autem definiri, quod ſit motus voluntatis conformiter ſe habens intellectui falſo, præ ſe ferens, quòd Deus in hac vita peccatores non recipiat ad pœnitentiam. Eſt autem multiplex deſperatio, videlicet beatitudinis conſequendæ, remiſſionis peccatorum obtinendæ, item de miſeria evitanda damnationis æternæ, &c.

Ejus Gravitas.

S. Thom.2.2.*q*.21.*art*.3. dicit, Deſperationem eſſe peccatum ſecundum ſe minus odio Dei, tamen quo ad nos periculoſius, eo quod remedium converſionis velut impoſſibile ſtatuat, jamque quaſi de ſe ſententiam damnationis deſperans, anticipet, & ita de remedio non cogitet.

Qui Deſperaverint.

Exempla S. Scripturæ.

B Impius Cain, invidia ſtimulante, fraternæ cædis cruore ſceleratas polluit manus. Maledictionis pœnam is vitare potuiſſet, ſi pœnitens Dei miſericordiam imploraſſet: execrabilior factus eſt, poſt reatum fratricidii, dicens: Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. *Geneſ*.2.

Judas Iſcar. de culmine ipſo Apoſtolatus in barathrum inferni infeliciter corruit, non utique quia Dominum vendidit, ſed quia eo vendito magis de flagitio doluit, quàm de venia ſperavit, dicens: Peccavi tradens ſanguinem juſtum. At principes ſacerdotum dixerunt: Quid ad nos? tu videris, projectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. *Matth*.27.

* Historica.

Refert Cæſarius, Ludovicum Lantgravium, virum doctum è Thuringia oriundum ſic miſerè lapſum, ut diceret, dum corriperetur à viris probis: Si prædeſtinatus ſum, nulla peccata poterunt mihi regnum cælorum auferre: ſi verò præſcitus, nulla bona mihi illud valebunt conferre. Atque ideò cuivis flagitio ſeſe immerſit. Cùm autem in morbum gravem lapſus poſteà fuiſſet, vocatus eſt medicus ejus vir bonus, & diſcretus, & non ſolùm in Phyſica, ſed etiam in Theologia non mediocriter litteratus, cui Princeps dixit? Ut vides infirmus ſum valdè, adhi- C be curam, ut poſſim convaleſcere. Memor medicus illius erroris, reſpondit, Domine, ſi venit Dies mortis veſtræ, non vos poterit cura mea morti ſubtrahere, ſi verò moriturus non es de infirmitate iſta, ſuperflua erit medicina mea. Et ille; Quomodò ſic reſpondes? ſi mihi non fuerit adhibita curæ diligentia, & diæta propoſita, potero tam à meipſo, quam ab aliis imperitis negligi, & ante tempus mori. Audito hoc verbo phyſicus multùm hilaris effectus, data occaſione reſpondit; Domine, ſi creditis vitam veſtram poſſe protelari virtute medicinæ, quare hoc credere renuitis de pœnitentia, & operibus juſtitiæ, quæ ſunt antidota animæ? ſine his anima moritur, ſine his ad ſanitatem, quæ eſt in futura vita, nemo pervenit. Conſiderans Lantgravius pondus verborum, & quod rationabiliter peroraſſet, dixit ei; De cætero medicus eſto animæ meæ, quia per tuam linguam medicinalem Deus liberavit me à maximo errore *Cæſ.lib.*1.*c*.27.

Huic ſubjungam illud ex Ludolpho de quodam Monacho, cui crebræ fiebant divinæ revelationes. Quod cùm alter ejuſdem monaſterii frater intellexiſſet, inſtitit apud eundem, ut D Deum oraret, rogaretque, ut ſibi dignaretur oſtendere, an de numero ſalvandorum eſſet: & cùm ille vix precibus victus orationi inſtando hoc à Deo poſtularet, ſibi oſtenſum eſt, quod ille frater de numero damnandorum eſſet: unde metuens fratrem turbare, per aliquot dies hoc celavit ipſi. Sed tandem eidem requirenti (licèt invitus) aperuit: ille hoc audiens, & ſcripturas intelligens, ſtatim reſpondit, Benedictus Deus: nec tamen ſic deſperabo; ſed pœnitentiam, quam per ingreſſum religionis aſſumpſi, de cætero duplicabo, & triplicabo; donec gratiam, & miſericordiam apud Deum altiſſimum, qui pius eſt, inveniam: & poſt multos dies iterùm fratri prædicto divinitus revelatum, quod ille frater de numero ſalvandorum eſſet: quod cùm eidem fratri retuliſſet, ille lætus effectus de revelatione fortior factus in opere, & viriliter agens de virtute in virtutem quotidie proficiens perſeveravit in bono ſine ceſſatione: utinam multi animati hoc exemplo manum ſuam ad fortia mitterent, & non deſperarent, vel deficerent, quia ſic agendo, & in hoc perſeverando, Deum ſibi propitium utique invenirent. *Ludolph. à Sax.2.part. vitæ Chriſti, c.*50.

Ann. Dom.1380. Senis erat civis quidam Andreas Naddini, dives opum, ſed omnis virtutis inops, cunctis propè flagitiis E coopertus, teſſerarum ludo totus deditus, in Deum, & Sanctos ejus perpetim blaſphemus, & deteſtabilis. Is anno ætatis ſuæ quadrageſimo gravi correptus morbo tendebat ad extrema. Venerunt autem ad eum multi homines pii, & utriuſque ſexus cœnobitæ, atque ante omnes ejus parochus: hortabanturque eum, ut ſua peccata confiteretur. Sed ille miſer, qui nec ſacras ædes viſere, nec ſacris initiatos unquam honorare conſueſſet, admonitiones omnes reſpuit, ſeipſum planè deſperans. Audivit F. Th. ſanctæ virginis Catharinæ Seneſis Confeſſarius, effecitque ut ea Dominum pro homine pereunte deprecaretur, & quidem ferventiſſimè, atque inſtantiſſimè. Sed Dominus illi reſpondit: Illius blaſphemi hominis flagitia ad cœlos uſque pertingunt: qui præter alia ſcelera, etiam tabulam, in qua erat picta imago mea, & matris meæ, atque aliorum Sanctorum, jactavit in ignem, dignus proinde, qui æternis gehennæ flammis exuratur. Verùm ſancta virgo ſalutis animarum ſitientiſſima, dolens vicem perditi hominis, non ceſſavit à lacrymis & precibus, donec flexus Dominus Jeſus decumbenti Andreæ appareret, hortareturque eum, ut ſua peccata confiteretur, liberali- F ter ei, ſi id faceret, veniam pollicens. Et ecce ille ſaxo durior repentè molleſcit, magna voce poſtulat acciri Confeſſarium, dicit Chriſtum Jeſum ſe videre, qui ipſum de facienda confeſſione admonuerat. Lætantur omnes, curritur ad Sacerdotem: ille venit, Andreas cum magno cordis dolore integrè confitetur peccata ſua, condit teſtamentum, & feliciter migrat à vita. *Raimund. à Capua in vita S. Catharinæ Senen. apud Sur. 19. April.*

Monachus quidam Ciſtercienſ. inſtituti, immoderato quodam innocentiæ, & puritatis zelo impulſus: præ ſpiritus fervore ad ſtatum primi parentis Adæ pertingere nitebatur. Suſcepit ea cauſa laboris plurimum, affligebat ſe inedia, vigiliis, & precibus: ſed cùm hæc omnia fruſtra eſſent, nec poſſet ad illam innocentiam pervenire, primò incidit in tædium, & acediam. Volebat ille cibum ita ſumere, ut nullam inter edendum ſentiret delectationem. Primos ſenſitivæ portionis, ſive ſenſualitatis motus conabatur non ſolùm reprimere, ſed etiam extinguere penitus. Contendebat abſque ullo veniali peccato vitam in perfecta puritate tranſigere. Erat ea tentatio dæmonii meridiani ad impoſſibilia eum inſtigantis. Unde fiebat immemor illius doctrinæ Sapientis: *Noli eſſe juſtus multùm.* Laborabat ſanè permultum, ſed nullo labore potuit eò, quò intendebat, pertingere. Itaque præ mœrore tan- G dem in deſperationis foveam prolapſus eſt, cum perſuaſum haberet, ſe in eo corruptionis ſtatu, in quo eſſet, ſalutem nulla poſſe ratione adipiſci. Veniales enim culpas, quas in hac vita omnes vitare non poſſumus, ille mortiferorum criminum loco habebat: nec volebat propterea ſumere corpus Chriſti, etiam illis diebus, quibus id monaſticus Canon vult percipi. En ad quam calamitatem, quam horrendam, & miſerabilem ruinam ſub ſpecie boni, hoſtis ille teterrimus ſimplicem hominem perduxit, ita ut infirmus reſpueret medicinam, & jugum obedientiæ à ſe repelleret, qui propriæ voluntati ſemel nuncium remiſerat. Et ut hic aliquid ex fabulis, non tamen fabuloſè, & vana non vanè, & fallaciter inferamus: monachus hic, qui ad primi hominis innocentiam, & puritatem pervenire nitebatur, cui ſimilis putandus eſt, niſi ranæ illi, quæ cum videret bovem magno robore, & grandi corpore, volebat etiam ipſa illas vires, & corporis molem adipiſci. Itaque intendit ſe totam, & quoad potuit inflavit: ſed fruſtrà. Nec enim ſi vel rumperet ſeſe, unquam poſſet ad bo- H vis quantitatem pertingere. Sic frater ille, dum voluit excedere limites virium ſuarum, & ſupra ſe efferre, infra ſe per deſperationem miſerè collapſus eſt. Ejus autem animi morbum pius quidam, & bonorum omnium fautor Abbas ubi cognovit, cum aliis multis Dominum pro illo deprecabatur; ſed prævaluit inimicus, & quem laqueo forti conſtrinxerat, cum ſine intermiſſione vexabat. Tandem Abbas ille, quòd non ſolùm ancillæ Chriſti eſſet amicus, ſed etiam virtutem ejus, quippe quam in ſeipſo expertus erat, non ignoraret, monachum illum ad ſe curavit adduci. Et ecce orante illa pro monacho, cum lacrymis & ſuſpiriis, cum ille ante Miſſæ introitum Confiteor diceret, & illa inſtantius pro eo oraret, quaſi atri quidam lapilli ad ſingula confeſſionis verba ex ore monachi decidere videbantur. Tum illa animadvertens in hac viſione, obſtinationem deſperationis, & triſtitiæ nigredinem à monacho receſſiſſe, Domino gratias egit, qui non vult mortem peccatorum, ſed ut convertantur, & vivant. Monachus verò peracto ſacrificio tanquam è longinqua regione ad ſe reverſus,

Chriſti corpus accepi, & ea ſalutari percepta medicina perfe- A ctè curatus eſt. *Vinc. Belvacenſ. Epiſ. Speculi hiſt. l.30.c.34.*

Ex utraque, ait *S. Aug. tr.33. in Evang. Joan.* homines periclitantur, & ſperando, & deſperando; contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando quis decipitur: Qui dicit: bonus eſt Deus, miſericors eſt Deus; faciam quod mihi placet, quod lubet; laxem habenas cupiditatibus meis, impleam deſideria animæ meæ. Quare hoc? Quia miſericors eſt Deus: bonus eſt Deus, manſuetus eſt Deus. Spe iſti periclitantur. Deſperatione autem, qui cùm inciderint in gravia peccata, putantes ſibi non poſſe jam ignoſci pœnitentibus, & ſtatuentes ſe ad damnationem ſine dubio deſtinatos, dicunt apud ſemetipſos; Jam damnandi ſumus; quare non quod volumus, facimus? animo gladiatorum ferro deſtinatorum? Ideò moleſti ſunt deſtinati: Jam enim, quod timeant, non habent, & vehementer timendi ſunt. Iſtos deſperatio necat, ſpes illos. Inter ſpem, & deſperationem fluctuat animus. Metuendum eſt, ne te occidat ſpes; & cùm multùm ſperas de miſericordia, incidas in judicium. Metuendum eſt rurſus, ne te occidat deſperatio; & cùm putas jam tibi non ignoſci, quæ gravia commiſiſti, non agas pœnitentiam, & incurras in judicem Sapientiam, quæ di- B cit: Et ego veſtræ perditioni ſuperidebo. Quid ergo agit Dominus cum periclitantibus utroque morbo? Illis, qui ſpe periclitantur, hoc dicit: *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem: ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te.* Illis, qui deſperatione periclitantur, quid dicit? *In quacumque die iniquus converſus fuerit, omnes iniquitates ejus obliviſcar.* Propter illos ergo, qui deſperatione periclitantur, propoſuit indulgentiæ portum: propter illos, qui ſpe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum.

S. Abrahami eremitæ neptis biennium in flagitioſa vita conſumpſerat. Ut autem revocaret, ementito habitu militis, eques ad illam profectus eſt, inventam remotis arbitris allocutus eſt, dicens: Super me ſit peccatum tuum, quo hactenus amatoribus fœdè proſtituiſti corpus tuum; ego pro eo ſatisfaciam, ego in die judicii pro te, filia mea, rationem reddam. Cùmque illi regereret: Nimis magna eſt iniquitas mea, non poteſt mihi ſpes eſſe ſalutis: reſpondit: Super me ſit iniquitas tua, filia mea, ex meis manibus Deus hoc peccatum requirat, tantùm veni mecum. Ita venit, & pœnitentiam pro peccatis ſuis reliquo vitæ tempore tantam egit, ut etiam miraculis clara è vita C ceſſerit. *S. Ephrem in vita S. Abrah. & Sur. 16. Martii.*

Exempla, Ethnicorum.

Hercules, de enormibus ſuis peccatis, ad quæ etiam ſol expalleſcere, & terra contremiſcere poſſet, apud Eurip. in Hercule furente hæc effatur,

ἐς τῦτο δ' ἥξειν συμφορᾶς οἶμαί ποτε.
φωνὴν γὰρ ἥσει χθὼν ἀπεννέπουσά με
μὴ θιγγάνειν γῆς, καὶ θάλασσα μὴ περᾶν,
πηγαί τε ποταμῶν, καὶ τὸν ἁρματήλατον
Ἰξίον' ἐν δέσμοισιν ἐκμιμήσομαι.

Ad hoc venturum me calamitatis puto olim. Vocem edet tellus, interdicens mihi non attingere terram, & mare non tranſire, fonteſque fluminum: & ipſum, qui rotatur Ixionem in vinculis imitabor.

Atrox odium, atque, ut Plutarchi dicam verbis, ἄσπονδος πόλεμος erat inter Theſſalos, & Phocenſes, quòd hi primores illorum in ſuis urbibus ad unum omnes eodem die trucidaſſent: illi viciſſim horum obſides ducentos quinquaginta in crucem ſuſtuliſſent. Tandem Theſſali contractis omnibus copiis, per Locrenſes irruperunt, edicto promulgato, ne cui- D quam provectioris ætatis parceretur: pueri cum mulieribus in ſervitutem abducerentur. Daiphantus itaque, qui fuit unus è tribus, quibus Phocenſium res erat commiſſa, ſuaſit uti viri quidem Theſſalis obviàm irent, cum illis conflicturi: ceterùm mulieres unà cum liberis, ex univerſa Phocide congregatas, in uno quopiam loco ſeponerent, congeſta ingenti lignorum materia: & adhibitis cuſtodibus mandarent, ut ſimul, ac intellexiſſent, ſeſe victos in prælio, continuò pueros, & uxores injecto igni exurerent. Id reliquis comprobantibus, exurgens quidam negavit æquum fieri, ni conſilium hoc, uxorem quoque ſuffragiis comprobatum fuiſſet. Quòd ſi non placeret, non eſſe cogendas. Itaque mulieres, ubi rem cognoviſſent, ipſæ inter ſe habito conſilio, Daiphantum collaudarunt, qui rectiſſimè conſuluiſſet Phocenſium rebus. Eadem autem videri & uxoribus, & liberis eorum. His ita peractis congreſſi cum Theſſalis Phocenſes, ſuperiores extiterunt. Ac decretum quidem illud Græci proverbialiter φωκικὴ ἀπόνοια, Phocenſium E deſperationem appellarunt: quòd etiamſi feliciter ceſſiſſet, tamen temerarium, parumque cordatum videretur. *Plut.* Similia ferè narrat Pauſanias in Phocicis, meminit & proverbii, quod ait ex hoc eventu dici ſolitum ἐπὶ τῶν πάντων βουλευμάτων ἀναλγήτων, hoc eſt de omnibus conſiliis, quæ carent dolore. Meminit & Stheph. judicans dici ſolitum περὶ τῶν τὰ ἀνάλγη βουλευομένων. *Eraſm. in Adag.*

Aſtapa urbs Hiſpaniæ (quæ hodie Aſcho dicitur) ſemper Carthaginenſis fuerat. Incolæ latrociniis dediti excurſiones in finitimum agrum ſociorum populi Rom. faciebant. Hanc urbem pulſis ex Hiſpania Carthaginenſ. P. Scipio expugnare parabat. Oppidani conſcientia ſcelerum in foro precioſiſſima rerum ſuarum congerunt: ſuper eum tumulum conjuges, ac liberos conſidere jubent, ligna, faſceſque virgultorum circa eum extruunt, ut donec incertus eventus pugnæ eſſet, præſidium in eo loco fortunarum ſuarum, corporumque, quę cariora omnibus fortunis erant, ſervarent: ſi verò rem inclinatam viderent, atque in eo eſſe, ut etiam civitas caperetur, ſcirentque omnes quotquot in prælium iſſent obituros, eos per ſuperos, inferoſque deos oravere, ut memores libertatis, quæ illo die aut morte honeſta, aut miſera ſervitute finienda eſſet nihil relinquerent, in quo ſævire hoſtis poſſet: ferrum, ignemq; in ma- F nibus eſſe: manuſque amicæ, ac fideles potiùs ea, quæ peritura erant, abſumerent, quàm hoſtes ſuperbo ludibrio inſultarent. His adhortationibus excitati, ne quem à propoſito ſpes mollitiave animi flecteret, die adjecta concitato agmine, patentibus portis eruperunt. Sed Rom. exceptas omnes ultrò in ferrum ruentes trucidavere, urbeque occupata, horrendum ſpectaculum in foro habuere, cùm proprii cives omnem feminarum turmam, puerorumque imbecillem, inermemque multitudinem occidiſſent, & incenſo rogo ſemiviva adhuc corpora in ignem projeciſſent, & peracta cæde, cum armis in medium inſilirent incendium. *Joan. Gerund. l.5. Paralip. Hiſpan.*

Numantini à P. Scip. Africano longa obſidione defatigati, cùm intorerabiles pacis conditiones præſcriberet, deſperatis rebus, ultimo ſeſe prælio accingunt, ſatius ducentes pro patria fortiter occumbere, quàm per ignaviam deditos, ut oves jugulari. Conſilio itaque moriendi, ſi victoria non contingeret, carne ſemicruda, celiaque (ſic enim potionem ex frumento factam indigenæ vocant) velut inferiis ingurgitati, in hoſtem decurrunt. Senſit ſtatim Scipio eam deſperationem eſſe, non pugnæ conſilium, inhibuitque ſuorum impetum, ut hoſtem G vallo circundatum, fame potiùs quàm ferro conficeret. Poſcere illi ſuppliciter à Romanis prælium, ut tanquam viris occumbere liceret. Id ubi ſibi negatum iri animadvertunt, in rabiem acti, in adverſa caſtra irrumpere conantur. Hoc quoque illis parum proſperè ceſſit: quin multis circà vollum vulneribus acceptis infecta re in urbem reverſi ſunt. Pertulit inde hoſtis aliquandiù obſidionem. Noviſſimè quam fugæ conſilium cepiſſet, ut noctu per ſtationum intervalla ſilentio, ſi poſſet, vel ſi minus id procederet, vi ſubita in apertum erumperet: uxores abruptis equorum cingulis eos ab incepto retraxerunt, quod illorum deſiderium nequirent ferrè: Atque ita demùm conſilium inierunt omnes unà moriendi, potiùs quàm turpiter ſe dedere. Incenſa urbe natos, & uxores partim ferro partim veneno ſuſtulerunt. Poſtremò & ipſi ſe mutuis vulneribus confecerunt, ut ne unus quidem Numantinorum ſuperfuerit, qui in triumpho duci poſſet, nec præda ulla parta, omnibus de induſtria ab eis priùs corruptis. De nomine tantùm, quod vita unquam anteà aut poſteà accidit, eſt triumphatum. Concidit itaque Numantia anno quartodecimo poſt Carthagi- H nem, qui fuit urbis Romæ undevigeſimus, ac ſexcenteſimus. *Sab. lib.9. En.5.*

Saguntum Hiſpaniarum oppidum, juxta flumen Hiberum, ſocietate, fœdereque conjunctum, cum Romanis longa Pœnorum obſidione fameque eò redactum, ut cives extructo in foro igni, quicquid erat pretioſarum rerum, in eum coniicerent, ac poſtremò ſe ſuoſque liberos eodem præcipitarent, ne venirent in hoſtium manus. Inde proverb. Saguntina fames. *Eraſ. in Adag. ex Livio, Val. Max. & Ciceronis Philippicis.*

P. Licinius Crass. profectus contra Ariſtonicum Eumenis filium, in eo prælio profligato exercitu, ipſe, ne in hoſtium manus veniret, baculo barbari ſatellitis, equum ducentis, oculum petens, eum in ſui necem provocavit. *Plut.*

C. Marius junior à Sylla è Mithridatica victoria redeunte, cum toto exercitu fuſus in oppidum Præneſte ſe recepit. Ubi obſeſſus, cùm nulla effugii pateret rima, veniam deſperans ſe Pontio Teleſino præbuit jugulandum. *Livius.*

ADRIANUS Imperator incredibili membrorum omnium cruciatu impulſus, qui etiam morbi ſubtercutanei dolore multos è Senatus priùs extinxerat, (ut ſcribit Sex. Aurelius, & Dion) Maſtorem quemdam barbarum (quo propter robur, & audaciam plerumque uſus fuerat in venationibus) partim minis, partim pollicitationibus impulit, & coegit, ut cædem ſibi inferret: circumſcripſitque locum ſub mamilla, quem Hermogenes medicus demonſtraverat. Quo lethaliter percuſſo, ſine dolore expiravit.

MAGNENTIUS tyrannus ad Montem Seleucum in Hallia victus à Conſtantino Imp. Lugdun. confugit. Milites, qui fugę ſocii fuerunt, cùm nullam ſalutis ſpem reliquam, abſciſſis fractiſque rebus viderent, ipſum tradere Conſtantino decreverunt. Itaque diverſorio circumſeſſo, hominem, ne elabatur, cuſtodiunt. Qua re percepta, Magnentius deſperatione actus furioſi hominis opera edidit. Nam amicos, & propinquos ſuos, quos circa ſe habebat, vita exuit, ac Deſiderio fratre (quem Cæſarem deſignaverat) lethali vulnere affecto, demum ſibi manus intulit, ne vivus Conſtantino traditus, ſupplicio lentiore cruciaretur. Quippe, ut inquit Victor, gladio occultè proviſo, ictum pulſu parietis juvans latus transfodit, atque ut erat vaſti corporis, vulnere, naribuſque, & ore cruorem effundens, expiravit, menſe Imperii quadrageſimo ſecundo, ætatis anno quinquageſimo. Ducentius frater item & Cæſar, cùm ad opem ferendam occurreret, cognito illius interitu faſciæ collo implicito vitæ modum impoſuit. Deſiderius ex vulneribus recreatus ſeſe Conſtantino tradit. *Sigon.l.5.Imp.occid.*

DIOCLETIAN. & MAXIMIAN. Herculius, anno Domini 307. ille Nicomediæ, hic verò Mediolani, imperio ſeſe abdicarunt (Euſebius in Chronico) palàm quidem negotiorum molem, & ſenectutem cauſantes: ſed amicis ſe id ex deſperatione facere, quòd non poſſent extinguere Chriſtianorum religionem confitentes. *Niceph. lib.7.c.20. Zonaras tom.2. & Chronicon. Urſpergenſis.*

Roma à Totila obſeſſa, Romani fame ingenti premebantur: nonnulli etiam manus ſibiipſis inferebant, cùm nec canes, neq; mures de cætero invenirent, nec aliud uſquam demortuum animal, quibus in cibum uti poſſent. Erat Roman. quidam quinque filiorum pater: hunc liberi circumſiſtendo, cibum efflagitabant. Ille nullo edito turbationis indicio, juſſit filios ſe ſubſequi, ut cibum mox accepturos. Ubi ſuper Tyberis pontem pervenit, capite obvoluto, in flumen deſiliit, ſpectantibus filiis. Græcorum præfecti, viſa ea civium deſperatione, omnibus abire volentibus facultatem indulſerunt. *Procopius.*

CONSTANTIN. III. Scotorum rex infeliciter re contra Anglos ad Broninfeldum geſta, amiſſo nobilitatis flore, ſummo depoſito magiſtratu, piorum cœtui in Andreæ Apoſtoli cœnobio ſe ſacravit. Anno Salutis 843. ſui principatus 40. *H. Boeth.lib.*11.

APOPHTHEGMATA.

LEONIDAS, Ephoris dicentibus ad Leonidam, quod ad Thermopylas proficiſcens, paucos ſecum educeret: Nimirum ad hoc, inquit, negotium, ad quod proficiſcimur. Indicans, ſatis multos educi ad moriendum in bello: ſatius enim perire paucos, quàm multos. *Plut.*

Cuidam, qui laborans ab oculis exierat in bellum, cùm nonnulli dicerent: Quo vadis ad iſtum affectus modum, aut quid facturus; Ut nihil, inquit, aliud, certè hoſtis gladium hebetabo. *Plut.*

POMPEJUS, rebus infeliciter geſtis adversùs Cæſarem, & ad ſummam deſperationem redactus, in tentorium venit attonito ſimilis, nec aliam vocem emiſit, quam hanc, ἐκῶν εἰς παρεμβολήν. Ergo in caſtra: ſumptaque veſte præſenti fortunæ accommodata clam profugit. *Plut.*

* Detractio.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA,

DEtractio, Græcè καταλογία, κακολογία, definitur, denigratio alienæ famæ per occulta verba, *ſecund. B. Th.*2.2. *p.*72.& 74.*a.*1. *& ſeq.* Vel eſt alienæ famæ occulta, & injuſta denigratio. Unde ad detractionem duo hæc requiruntur, ut famam proximi diminuat: & ut fiat occultè juxta intentionem dicentis.

Detractio, ait Hugo; eſt locutio ex invidia procedens aliorum bona denigrans.

Detractio eſt ſeminatio mali occultè in proximi injuriam. Differt autem detractio à contumelia; quia contumelioſus per aperta dicta intendit honori derogare: Detractor verò in abſentia proximi ejus famam lædit. *Secundum B. Thom. ſecunda ſecundæ, q.*72. Differt autem à Suſurratione, fine: quòd hęc ad amicitiæ diſſolutionem potiùs ſpectet, quòd malum latè deſcribit *Eccleſiaſt.c.*28.

Hebræi detractorem vocant *Halach-Rachil*, id eſt, deambulantem. Mercatores negotiorum ſuorum, & mercium colligendarum, vel diſtrahendarum gratia hinc inde curſitant, atque adeò ſemper agitantur, ita detractores undique rumores corradunt adversùs quoſcumque, quos poſteà in aliorum aures conficiunt, hacq; negotiatione omnium peſſima ſupra modum delectantur. Vide ſuprà, *Delatio.* Alio verbo utuntur, nempe *Ragha*, detulit, pedibus ambulando narravit rem alteri, obtrectavit. Detractores enim ſolent diſcurſare, & aliquid expiſcari, quod deinde aliis inter deambulandum variis verborum circulis, & ambagibus exponant. Cognationem habet, cum *Rachal*, detulit merces, negotiatus eſt. Detractorem prætereà Hebræi *Meloſchen* nominant, quaſi dicas linguoſum: nam præſertim lingua ſua abutitur in proximi perniciem, *Laſchon*, enim Hebr. lingua dicitur. Ex nominis, ſeu vocis etymo definitionem rei ſacra lingua tradit lectori ſtudioſos.

DETRACTORUM NATURA, ET MALITIA.

Detractores quodam ſimulatæ verecundiæ fuco, conceptam malitiam, quam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas à detractores alta præmitti ſuſpiria: ſicq; cum quadam gravitate, & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſuperciliis, voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto perſuaſibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde non invido, ſed magis condolenti affectu, quam malitioſè proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo, quod diligo eum ſatis, & nunquam potui de hac re corrigere eum, & aliàs mihi quidem benè compertum fuerat de eo iſtud, ſed per me nunquam innotuiſſet, at quoniam per alterum patefacta res eſt, veritatem negare non poſſum, revera ita eſt. *Bern. ſuper Cantica ſer.*24.

Abſentem qui rodit amicum:
Qui non defendit alio culpante: ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamque dicacis:
Fingere qui non viſa poteſt; commiſſa tacere
Qui nequit: hic niger eſt, hunc tu, Romane, caveto.

Horat.1.ſerm.4.

Detrahere igitur aliquid alteri, & hominis incommodo ſuum commodum augere, magis eſt contra naturam, quàm mors, quàm dolor, quàm cætera, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis. Nam principio tollunt convictum hominum, & ſocietatem. *Cic.de Offic.*

Pulchre Caſſiod. *ſuper Pſalm.* Dentes ait, à demendo dicti ſunt: hinc eleganter linguæ detrahentium dentium nomine appellantur, quia ſicut illi ciborum partes demunt, ita & iſti hominum opiniones corrodunt. Benè Terent.

Nihil eſt, Antipho,
Quin malè narrando poſſit depravarier:
Tu id, quod benè eſt, excerpis, dicis, quod malum eſt.

De malo detractionis ait Chryſoſt. *hom.7.in l. Numer.* ubi de peccata Mariæ ſororis Moyſis tractat, & lepra ejuſdem, *& in Pſ.*100. vocat detractionem Dæmonem turbulentum, nec unquam pacatum hominem reddentem. Ex ea, inquit, odia pullulant, conflantur jurgia, diſſidia ortum trahunt, ſuſpiciones malæ procreantur. Sine cauſa ex amico hoſtem reddit, univerſas domos ſubvertit, urbeſque pacatas ab bellum excitat, pacis vincula diſſolvit, charitatis nodum infringit. Legatur etiam S. Hieron. *ad Celantiam de inſtit. matris familias*, & Auguſt. *epiſt.*147.*ad Clerum, & pop. Hipponenſem.*

MODI DETRACTIONIS VARII.

S. THOM. tradit Detractionem fieri octo modis, quatuor directè, & quatuor indirectè. Directè, primo, imponendo crimen falſum. Secundò, amplificando crimen verùm. Tertiò, pandendo crimen occultum. Quartò, ſiniſtrè interpretando alterius factum: qui quartus modus, quartus in anima alterius per tuam interpretationem lædis bonam opinionem, quam ipſe de proximo conceperat, vel ingeneras pravam: pertinet ad detractionem: ut verò in animo tuo, ſic judicando temerè proximo injuriam facis, ad temerarium judicium.

Indirectè. 1. Negando rectè facta, vel dotes alterius. 2. Ea extenuando. 3. Tacendo bona alterius eo loco, & tempore, quo tuum ſilentium alii interpretabuntur tacitam vituperationem. 4. Simulatè, vel frigidè laudando: ut quando quis ſimulat ſe velle laudare aliquem, & tamen nihil adfert laude dignum. Nam ut ait Phavorinus *apud Gell. lib.*19. *Noctium Attic.c.*3. Pejus eſt frigidè laudare, quàm apertè reprehendere.

POENÆ DETRACTORUM.

Soror Moyſis Maria, eo quòd Moyſi detraxiſſet, fœdiſſimo lepræ morbo percuſſa eſt, à quo ne ipſo quidem Moyſe ſupplicante, ut ait Baſilius, liberata fuit. Quotquot è filiis Iſrael detraxerant Moyſi, & Aaroni, precibus quidem Moyſis à morte temporali erepti ſunt, ſed terræ promiſſionis aditu excluſi. *Nu.*14.20. In Narciſſum Hieroſolymorum Epiſcopum SS. tres improbi homines turpem quandam criminationis calumniam, cum juramento conjecerant, unus ſic dejeravit: Si verùm non dixero, igni diſperéam, alter ſi mentiar, corpus ſævo morbo abſumatur. Tertius autem: Si verum non dicam, opto utroque orbari lumine. Narciſſus verò ob indignitatem calumniæ cùm eſſet innoxius, in eremum ſe ad multos annos recepit, at Deus non obdormiit. Primus enim, cùm noctu ſcintilla ignis in ædes ejus incidiſſet, cum tota familia omninò conflagravit, alter verò morbo, quem ſibi imprecatus erat, ab imis pedum digitis uſque ad verticem capitis contabuit. Tertius hoc eventu in ſociis conſpecto, palàm maleficium ſuum confeſſus eſt, cum tanta lacrymatus confuſione, ut oculos amiſerit. *Euſeb.l.6.c.*8.

Paphnutius Ss. juvenis virtutis invidens, quidam è numero fratrum ejuſmodi dolum commentus eſt. Iſidoro monaſterii ſuperiori queſtus eſt ſibi codicem ereptum, rogatque ut in ſingulorum Fratrum cellis quæratur. Tres ſeniores deſignantur, qui quærant. Reperitur tandem in cella Paphnutii ſub palmarum plectis (ibi enim invidus cum abdiderat) palàm proditur in Eccleſia, ubi omnes convenerant. Paphnutius, licèt innocens, non ſe purgat, ſed ſe ſatisfactioni totum tradit, & ad limina Eccleſiæ per duas hebdomadas ſupplex ſe abiicit, noxam deprecatus. Quibus elapſis à ſævo dæmone inuidus ille frater arripitur, immaniterque divexatur, ſed nec ab ullo ſeniorum eiici potuit, quia Chriſtus gloriam illam ſoli reſervarat Paphnutio, cui calumnia ſtructa erat, & facilè eum exturbavit. *Caſſian.lib.*18.*collat.c.*15.

*Thomas Cantipratanus, l.2.apum.c.*37. novi, inquit, ordine, non re, nomine non actibus ſacerdotem, qui tantùm vitio linguæ deditus erat, ut potiùs de ſe peſſima mentiretur, quàm non ſocios, vel cohabitantes ſibi criminibus infamaret. Hic ante mortem raptus in furias tanta in ſe debacchatus eſt cæde, ut propriis dentibus linguam vaniloquam laniaret, & palàm cunctis oſtenderet, quod (quia lingua ſua doloſè egerat, & venenum aſpidum ſub labiis ejus) quaſi ſepulcrum patens guttur illius fœtorem teterrimum exhalavit, ut per quæ peccaverat per eadem torqueretur.

Infantulum diabolus extinxit, qui parens detrahentem Epiſcopo lubenter auſcultarat. *Greg.l.3.dial.c.*33.

Cùm S. Maurus Abbas oratione, & ſigno crucis Clericum qui cæmentarię arti præerat colliſum ſanum reddidiſſet, quidam ejus artis operarii beato viro detrahere cœperunt, dicentes ejus prava ductum cupiditate, non autem religionis gratia, relicto priore monaſterio ad eas oras veniſſe; neque divina virtute, ſed præſtigiis quibuſdam res admirandas gerere, & hominum oculis ſceleratè illudere. Cùm hæc inter ſe ſermocinarentur, & alter alterum in odium ſancti viri concitaret, tres ex illis maligno dæmone è veſtigio correpti, tanta crudelitate diſcerpti ſunt, ut unus animam, inter acerba tormenta, cum lugubri valdè ejulatu, exhalaret. Quod ut ad aures B. Mauri pervenit, ſtatim lacrymis totus infuſus, ad S. Martini oratorium contendit, ubi tribus horis continuis in oratione exactis, ad homines extrema calamitate miſeros acceſſit, & edito contra illos crucis ſigno; Filius Dei, inquit, qui diſcipulis ſuis calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones poteſtatem dedit, ab hac dæmoniaca vos vexatione abſolvat. Cùmque illi nihilominus dentibus, & oculis furorem ſpirarent, vir Dei propiùs accedens digitos utriuſque manus in ora illorum miſit, & ſtatim dæmones ingenti fœtore relicto, ventris egeſtione fugati ſunt. Tertium verò jam vita functum, ſacrificio Miſſæ pro eo oblato, aliiſque orationibus, etiam vitæ reſtituit. *Zachar. Lippeloo, & Sur. in vita ejus Jan. die* 15.

DONATUS quidam natione Afer, presbyter tamen Eccleſiæ Mediolanenſis, cùm in convivio poſitus, in quo erant nonnulli militares religioſi, detraheret memoriæ ſacerdotis Ambroſii, aſpernantibus illis, & deferentibus linguam nequam, ſubito vulnere percuſſus gravi, de eodem loco, in quo jacebat, alienis manibus ſublevatus in lectulum poſitus eſt, atque inde ad ſepulcrum uſque perductus. In urbe etiam Carthaginenſi, cùm apud Fortunatum diaconum, fratrem venerabilis viri Aurelii Epiſcopi, ad convivium conveniſſem unà cum Vincentio Caſſolitano Epiſcopo, Maurano etiam Epiſcopo Politano, ſed & aliis Epiſcopis, & diaconibus: tunc Maurano Epiſcopo detrahenti ſancto viro retuli exitum presbyteri ſuperius memorati: quod ille de alio dictum, de ſe oraculum maturo ſui exitu comprobavit: nam de eodem loco, in quo jacebat, cùm ſubito vulnere ingenti eſſet percuſſus, alienis manibus ad lectum portatus eſt, atque deinde ad domum, in qua hoſpitabatur, reductus diem clauſit. Is finis virorum detrahentium fuit; quem videntes, qui tum aderant, admirati ſunt. *Paul. apud Baron. to.5. an.*397.34.

CLOTHARIUS Francorum Rex, cùm ann. Domini 615. peremptis hoſtibus, ſolus totius Galliæ regni monarchiam conſecutus eſſet, nihil antiquius habuit, quam ut coleret pietatem, Deique amicos, viros ſanctos uſu ſibi amicitiæ jungeret, atque conſiliarios haberet. Fuit ex iis unus Arnulfus Metenſis Epiſcopus, cui ſuum filium Dagobertum tradidit inſtituendum, quem totius regni hæredem forè ſperaret: tanti enim ſanctum hunc virum faciebat Rex, ut eo inconſulto quicquam facere non auderet, itemque Regina; qui non interdiu tantùm, ſed noctu etiam eundem ſæpiùs adire ſolerent: unde curialibus canibus oblatrandi in eum, & famam ejus dilacerandi, ac corrodendi occaſio data eſt. Sed quàm ſeverè Deus ultus ſit in hujuſmodi detractores, accipe. Quidam ſceleſtus homo, nomine Notto, auſus eſt irrogare cum complicibus ſuis Epiſcopo ſancto injuriam, aſſerens ſcilicet eum non eſſe cultorem Dei, ſed potiùs hominem deditum voluptati, ad cujus lectum nocturnis horis non ſolùm Rex, verùm etiam Regina tanquam conſilium flagitantes interdum properarent. Cùm ergo vir ille die quadam alvo referta vino unà cùm detrahente ſocio ſuo ſtrata petiiſſet, jubente domino, omnia veſtimenta illorum vallantur undique flamma. Quibus illicò cum ingenti clamore proſilientibus, & aquam circa nates, ac genitalia loca, ubi camiſiæ illorum acerrimè cremabantur, iniicientibus, nec omninò flammam divinitus miſſam extinguere valentibus, tandem ad inſtar porcorum luto volutabri ſeſe pariter involvunt, & ibi diù vociferantes, vix ad ultimam pœnam, quam meritò patiebantur, evaſerunt. In quibus profecto impletum eſt illud Pſalmi; *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar*, In tantùm, ut & illud divina cenſura factum non ambigamus, quòd detractores iſti vehementiſſimè cremabantur in partibus illis, ubi libido, de qua calumniabantur virum juſtum, regnare non dubitatur. Nec multò poſt auctor hujus detractionis, præfatus videlicet Notto, in hujuſmodi criminibus diffamatur apud Regem, ut ſcelera ejus unà cum vita regalis gladius amputaret, necnon & filius ejus eidem ſententiæ ſubiaceret. *Baron.to.8. an.*615.

Sublato ex hac vita Ethelſtano Anglorum Rege, ſucceſſit ei in regnum Edmundus frater ejus. Hic poſt aliquot conſecrationis ſuæ dies, miſſis nunciis, rogat Dunſtanum venire ad ſe: ſciens quippè qua ratione, qua prudentia, qua omnis probi conſilii gratia præditus fuerit, magnopere deſiderabat illum ſibi proximum eſſe, cujus induſtria fultus tam ſe, quàm regnum ſibi commiſſum ſub æquitatis virga faciliùs gubernaret. Dunſtanus itaque Regi quaſi præcellenti, ſecundum Apoſtoli præceptum, obediendum eſſe perpendens, Regem adiit; & ſalva in omnibus reverentia ordinis ſui, ei ſe imperioſe ſubiecit. Ipſe ſuo conſilio regni negotia diſponebat: ipſe lites, & contentiones, ſi quando oriebantur, deſtruebat; ipſe pacem, & concordiam inter omnes nutriebat. Nullus in qualibet cauſa unquam de injuria ſibi illata conqueſtus eſt, ſi ad comprobandam judicis ſententiam Dunſtanus mediator, aut arbiter ſederet. Rex ipſe, & Princeps, quique ita ei ſubmiſſi erant, ut contra id, quod ipſe juberet, ordinaret, nemo quidquam faceret. Magnus itaque habebatur à cunctis. Hæc omnium bonorum invidus hoſtis attendens, & quo modo ea turbaret, ſua arte perquirens, invenit quoſdam, quorum corda benè noverat virum non ſincerè diligere, ſed ei ſpecie tenus ſui amorem prætendere. Hos ad diſſipandum bona, quæ non amabat ardenter contra virum inflammat, ac primò clàm, poſteà palam ad detractionem ejus illorum ora relaxat. Quid dicam in tantam diſcordiam profecerunt verba malignantium, ut ſubverſa omni pace, Dunſtanus non ſolùm priſtino honore privaretur; ſed & curia depelleretur. Quo facto, die tertia Rex in ſylvam venatum ivit; ſylva autem ipſa montem magnæ altitudinis occupat, qui mons in ſummitate ſui interruptus, ingens præcipitium, & horridam abyſſum offert. Cùm ergo fugitantem cervum, hac illicque Rex inſequeretur; cervus ad præruptum montis hiatum perveniens introrſus ruit, ac in partes diſciſſus

diſciſſus interiit. Inſectantes canes par ruina involvit. Equus, quem Rex ſedebat, ruptis habenis effrænis effectus, obſtinato curſu Regem poſt beſtiam portans ad ultimam ſortem, Regi præceps barathrum petens intentat. Ille trepidat, & anguſtiatur. Occurrit interim animo injuria Dunſtano illata, ingemuit. & ſe quàm citiſſimè illam multiplici commendatione correcturum (ſolummodo imminentem ſibi mortem ejus meritis ad horam avertat Deus) celeri mentis ſponſione Deo promittit. Cujus cordis præparationem auris Dei è veſtigio audiens, illius miſertus eſt. Equus namque illico ſubſtitit, & Regem à periculo montis liberatum valdè gratioſum Deo reddidit. Inde ad hoſpitium Rex reverſus, adunatis Principibus ſuis, rei, quæ acciderat, ordinem pandit, & Dunſtanum cum honore, & reverentia adduci præcepit, Actaque coram eo pœnitentia pro injuriis, quas ei intulerat, veniam ab eo, cum humilitate poſtulat. Qua potitus, fidem ſe amicum viro deinceps omni tempore futurum, nec ulteriùs cujuſpiam maledicis verbis de eo, crediturum pollicitus eſt. *Osbert. in vita Dunſtani Epiſc. cap. 13. 14. apud Sur. 19. Maii, & Baron. to. 10. an. 941.*

B. Franciscus Assisias detractionis vitium inimicum fonti pietatis, & gratiæ, tanquam ſerpentinum abhorrebat morſum, & atrociſſimam peſtem, & piiſſimo Deo abominabile fore affirmabat, pro eo quòd detractor animarum ſanguine paſcitur, quos gladio linguæ necat. Audiens aliquando fratrem quendam denigrantem alterius famam, converſus ad Vicariū ſuum, dixit: Surge, ſurge, diſcute diligenter, & ſi accuſatum fratrem innocentem repereris, accuſantem dura correctione cunctis redde notabilem. Nonnunquam verò eum, qui fratrem ſuum famæ gloria ſpoliaret, judicabat habitu ſpoliandum, nec ad Dominum poſſe oculos levare, niſi priùs, quod abſtulerat, reddere pro poſſe curaret. Tanto major eſt, ajebat, detractorum impietas, quàm latronum; quando lex Chriſti, quæ in obſervantia pietatis impletur, magis animarum, quàm corporum, nos aſtringit optare ſalutem. *D. Bonavent. in vita ejus c. 8. §. 3.*

Duo diffamaverant quendam tertium; qui ex diffamatoribus prior obiit, ſtetit per aliquod tempus in purgatorio. Cùm verò inde exivit, credidit ſe ſtatim iturum in paradiſum, at dixit Deus: Non intrabis, quia priùs habes facere reſtitutionem famæ illius. B. Vincentius Hiſpanus ordinis fratrum Prædicatorum ſcit iſtud eſſe verùm, quod anima redierit, quia ipſemet fuit diffamatus, & ab ipſo mortuus veniam petiit. *B. Vincent. ſerm. 1. de Domin. in Albis.*

Vidimus, inquit, *Caſſianus l. 5. c. 29.* ſenem, Machetem nomine à turbis fratrum eminus commorantem, hanc à Domino gratiam diuturnis precibus impetraſſe, ut quotquot diebus, ac noctibus agitaretur collatio ſpiritalis, nunquam ſomni torpore penitus laxaretur, ſi quis verò detractionis verbum, ſeu otioſum tentaſſet inferre, in ſomnum protinus concidebat, nec uſque ad aurium quidem ejus pollutionem virtus obloquii poterat pervenire.

Thomas Morus primarius Angliæ Cancellarius, ut in omni vita, & actione ſua vir erat maximæ ædificationis, & ſanctimoniæ, dum quis ipſo præſente detractioni laxare linguam incipiebat, ipſe mox arrepta aliunde occaſione virulentum illum ſermonem aliò divertebat, meliore ſubintroducto, aut ſaltem non malo. Exempli gratia, inquiebat: Dicat quiſque, quod volet, ego dico domum illam pulcherrimè exſtructam; eumque qui fecit excellentem eſſe in ſua arte magiſtrum, atq; architectum. Hoc modo ſuaviter ei malo remedium adhiberi poteſt. Vel dicat, quod Chriſtus accuſatoribus adulteræ; *Qui ſine peccato eſt, primus in illam lapidem mittat*, aut illud 1. Cor. 4. *Nolite ante tempus judicare, & non judicabimini. Thomas Stapletonus in vita ejus.*

Felix Portuenſis Epiſcopus Sabinienſi Provincia ortus ſanctimonialem quandam eodem in loco fuiſſe teſtatur, quæ carnis continentiam quidem habuit, ſed linguæ procacitatem, atque ſtultiloquium non declinavit. Hæc igitur defuncta, in eccleſia ſepulta eſt. Eadem verò nocte cuſtos eccleſiæ per revelationem vidit, quod deducta ante ſacrum altare per medium ſecabatur: & pars una illius igne cremabatur, & altera intacta remanebat. Cùmque hoc ſurgens manè fratribus narraſſet, & locum oſtenderet, in quo fuerat igne conſumpta, ipſa flammæ combuſtio ita ante altare in marmoribus apparuit, ac ſi illic eadem fœmina igne corporeo fuiſſet concremata. Qua ex re apertè datur intelligi, quia hi, quibus peccata dimiſſa non fuerint ad evitandum judicium, ſacris locis poſt mortem non valeant adjuvari, & quàm periculoſum ſit crimen detractionis. *Greg. l. 4. Dialog. c. 15.*

☞ *Referantur huc exempla S. Scripturæ, ex Titulo de Maledicis, & Maledicentia.*

* Devotio.

Definitio, & Etymologia.

Devotio, Græcè θρησκεία, dicitur, & definitur Devotio actus virtutis Religionis, quo voluntas promptam ſe, paratamque demonſtrat ad quodvis divini cultus exercitium, ſive internum, ſive externum Deo exhibendum: Sive brevius, Devotio eſt voluntas promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. *S. Thom. 2. 2. q. 53. a. 1.*

Devotionis Præmia, Et Exempla è S. Scriptura.

S. Ambrosius (*l. 1. de Cain, & Abel, c. 1.*) promptitudinem devotionis declarat exemplo Abraham Patriarchæ: Abraham filium ſuum ad holocauſtum juſſus offerre, non poſt dies, ut Cain, obtulit, ſed exurgens manè ſtatuit aſinam, &c. Et cucurrit, & accepit vitulum unum tenerum, & bonum, & dedit puero, & feſtinavit facere eum, ubique impigra devotio, & ideò fuit munus ejus acceptum. *Gen. 22. 1. 9.* Mox ſubiicit exemplum devoti Zachæi: Feſtinans deſcendit, & accepit illum (Chriſtum) gaudens, & ideò probavit Dominus ejus affectum, & eum celeri remuneratione donavit, dicens, quia hodie ſalus domui huic facta eſt, feſtinavit enim & dominus ad beneficium, & ideò non expectavit, ut promitteret, & impleret omnia, ſed ante fecit, poſteà declamavit. Dixit enim facta eſt ſalus, quod utique prævenienti ſervit, non promittenti.

Idem *l. 1. de Abraham c. 2.* recenſet geminum fructum deditionis, vel promptæ voluntatis obſequendi Deo in omnibus. Primus eſt, quòd hominem efficiat contemptorem rerum terrenarum, & amatorem cæleſtium: alter, quòd in omnibus periculis hominem reddat Deo providente ſecurum, nam quia Abraham cum conjuge, licet ſpecioſa, Ægyptii regis evaſit inſidias, ita ſubdit: Is qui Deum ſequitur, tutus ſemper eſt, Et ideò Deum debemus præferre omnibus, nec patriæ contuitu, nec parentum, filiorumque gratia, nec uxoris contemplatione revocari debemus ab executione præceptorum cæleſtium, quia Deus nobis omnia illa largitur, & potens eſt ſervare, quæ donat; itaque magnum exemplum devotionis Abrahæ, quòd cum uxore ſpecioſa deſcendit in Ægyptum. Erat quidem juſto viro cura conjugalis pudicitiæ, ſed majus erat ſtudium maturandæ devotionis, ne prætuliſſe cuſtodiam thori mandatis videretur cæleſtibus, itaque quoniam propter Deum contempſit omnia, recepit à Deo multiplicata omnia: ſed primam Deus pudicitiæ tribuit remunerationem, quam gratam ſciebat conjugi. Nam quia ſtudio obeundi cæleſtis oraculi uxorem quoque in periculum deduxit pudoris, etiam caſtimoniam conjugii defendit, &c.

Devotus Rex David: Renuit, ait, conſolari anima mea (conſolatione terrena) memor fui Dei, & delectatus ſum (conſolatione cæleſti) & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus (hoc eſt, tanta voluptate ſpiritus perfuſus ſum, ut non potuerim diutius tolerare.) S. Bernardus (in declamat. de verbis Petri: Ecce nos reliquimus omnia) contendit centuplum in hac vita Apoſtolis promiſſum, eſſe gratiam devotionis, & incredibile quoddam gaudium ſpiritus.

Inter alias veteris tabernaculi ſacras fabricas, dicit Scriptura *Exodi c. 38. v. 8.* quod Moyſes fecerit labrum æreum, cum baſi ſua, de ſpeculis mulierum, quæ excubant in oſtio tabernaculi. Ex quo matronarum priſca devotio, & ritus, quo ornamenta ſua, quæ vanitati priùs ſervierant, Deo dedicabant, ejuſque Miniſterio conſecrabant, clarè elicitur.

Magdalena, quæ priùs in Civitate peccatrix, in Chriſti obſequium capillos capitis ſui, quorum pulchritudine, & cincinnis priùs mundo, & vanitati deſervierat, & adoleſcentum in ſe oculos provocaverat, impendit, dum pedes illius, quos priùs lacrymis rigaverat, iiſdem abſterſit: os etiam quo non ſemel libidinoſa oſcula exceperat, iiſdem admovit. Velut ad literam in ſe adimplens, quod habet ſermo Apoſtolicus, ſicut membra ſua dederat ſervire iniquitati ad iniquitatem: ita mox eadem præberet ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.

Exempla Historica.

Neque deſunt poſterioribus ſæculis ſimilia devotæ pietatis exempla, pauca, quæ menti occurrent, ſubiiciemus. Sophia Socrus, & Conſtantina uxor Mauritii Imper. coronam ſuam in Eccleſia Deo obtulerunt.

S. Ludgar-

S. Ludgardis matrona ſanctiſſima juxta, & caſtiſſima, præter patrimonium, totum etiam mundum muliebrem, quem in divite copia poſſidebat, eccleſiæ contulit, ut divinus cultus inde promoveretur.

Pulcheria Arcadii filia, è patrimonio ſuo deiparæ virg. illuſtre templum ædificavit, & tam ſe, quàm veſtes ſumptuoſiſſimas, & monilia gemmata eidem Virgini devovit. *Cedren.*

De Paula Romana ſcribit S. Hieronymus *in ejus Epitaphio*, eam ubi ſe primum Deo dedicaſſet, ornamenta ſua omnia, mundumque muliebrem in ſacram ſupellectilem commutaſſe. Idem fecit Eliſabeth filia Andreæ Regis Hungariæ Lantgravii Thuriungiæ uxor, pauperum & mater, & ancilla, ut videre eſt in ejus vita.

Reliquis Heroinis addi meritò poteſt, Iſabella, Clara, Eugenia Brabantiæ Duciſſa, Alberti I. cognomento Pii, heri nuper defuncti uxor, quæ ſumpta à ſua ſtirpe pietate, pleraque ornamenta ſua contulit Virgini Deiparæ, ejuſque Ædi in Aſpricolle, quam maritus, ejus impulſu ante paucos annos ædificari juſſit, & paucis ante mortem hebdomadibus religioſè viſitavit. Atque inter alia veſtem pretioſam auro, ac margaritis intertextam manu ſua adornavit, qua diebus ſolemnibus imago ibidem miraculis clara, ut quæ Deus per filii ſui matrem ibidem indies operatur circuminduitur, verè eo elogio digna heroina, quod ei parem religione, & devotione Belgium, ſuperiorem Auſtriaca ſtirps habuerit.

Alterius etiam ordinis exempla ad manum ſunt. S. Remigius Epiſcopus Rhemenſis, cui Chriſti fidem Gallia debet, ſupremis Tabulis voluntatis ſuæ poſthumæ hanc teſtificationem inſcripſit. Quando ego Remigius, Epiſcopus de hac luce tranſiero, tu mihi hæres eſto ſancta, & venerabilis Eccleſia Catholica urbis Rhemorum, ac poſtmodum ad vaſa argentea in particulari Eccleſiæ Laudunenſi, ac aliis, ad uſum calicum, & ſacroſancta miniſteria attributorum meminit *Hincmarus in vita.*

S. Wilibrordus, quem Hollandia, & Brabantia Apoſtolum ſuum agnoſcat, etiam teſtamento ſuo certos fundos ſibi datos propè Antuerpiam, Eccleſiæ conceſſit. Extant tabulæ teſtam. *in eius vita, & in deſcrip. Antuer. C. Scribani.*

Carolus V. Cæſar ſacrum hunc ordinem interrumpat, qui chlamydem militari forma villoſo ſerico, & auro intertextam, donavit Divæ Virgini Hallenſi, quaſi victorias ſuas virgini virginum, & militiam conſectans, aut referens acceptas. *Lipſ. in virg. Hallenſi.*

Addamus veteribus virum clariſſimum Juſtum Lipſium, qui mortalitatis memor, ejuſque lineæ vicinus, tunicam ſuam pellibus ſuffultam, profeſſionis ſuæ, & muneris adminiſtram, gradus quoque, & dignitatis quaſi trabeam, D. Virginis in Æde ipſius Lovanii offerri voluit, uſibus, ac neceſſitatibus ſacris, quin & pateram duplicem inauratam templo Patrum Societatis ibidem, ut pro ſe illi orarent, dedicavit. Togam poſtmodùm in amiciſſimi viri memoriam emit Cl. V. Gerardus Corſelius tum Juris Profeſſor celeberrimus, modo Sanctioris Conſilii Senator prudentiſſimus. Pecunia verò aræ D. Virginis adſcripta. *Ex aſſertione Lipſiani Donar. à C. Jo. Voverio deſcripta.* Idem quoque animi ſui cultum erga Deiparam etiam aliàs exhibuit ſuſpenſa ante aram in Æde Hallenſi, quæ miraculis ejuſdem virginis coruſcat, penna argentea, cui hos verſus inſcripſit.

Hanc Diva pennam interpretem mentis meæ,
Per alta ſpatia quæ volavit ætheris,
Per ima quæ volavit, & terræ, & maris:
Scientię, prudentię, ſapientię
Operata ſemper, cauſa quæ conſtantiam
Deſcribere, & vulgare, quæ civilia,
Quæ militaria, atque Policoretica,
Quæ Romam magnitudine adſtruxit tuam;
Variaque luce ſcripta priſci ſęculi
Affecit, & perfudit, Hanc Pennam tibi,
Nunc, Diva, meritò conſecravi Lipſius.
Num numine iſthęc incboata ſunt tuo.
Et numine iſthęc abſoluta ſunt tuo,
Porrò ô benignitatis aura perpetim
Hęc ſpiret! & famę fugacis in vicem
Quam Penna peperit, tu perenne gaudium,
Vitamque, Diva, Lipſio pares tuo.

Quin etiam non ita pridem Antuerpiæ, an. ſcil. 1619. dum Religioſi Societatis Jeſu, auguſtiſſimum ſuum templum, quo nullum ſervata operis proportione in Belgio illuſtrius, inchoarent, ac prima illius fundamenta jacerent, conſecrante ſolemniter primum lapidem ex veteri Eccleſiæ ritu, *Joanne Maldero* Epiſcopo: & fidelium eleemoſynas pro concione poſtulante Laurentio Beyerlinck Archipresbytero; ea fuit populi Antuerpienſis devotio, ut certatim omnes accurrerent, donaria adferrent, & quidem inter ea, annulos, armillas, aliaque ornamenta, ut velut veteris populi devotio, qua torques, & alia id genus in opus Tabernaculi conferebatur, renata videretur, quam ſane munificentiam, animique erga Domum Dei, & qui eam excitabant Religioſos Societatis, devotionem, & cultum non intermiſerunt in operis progreſſu, quin ad optatum finem, miro ſplendore, & quam Belgæ admirentur magnificentia deductum hoc anno 1611. fuerit.

☞ *Refer pleraque ex Locis de Donariis ſacris, Decimis, Templis, &c.*

* DEVOTIO. DEVOVERE. IMPRECARI.

Ut adjunctam habet imprecationem.

Acceptio Varia.

Devotio in eo ſenſu communiter apud ſacros, & profanos Auctores uſurpatur, neque ſolùm perſonis, ſed & rebus, quæ devoventur, accommodatur, & in bonam partem accipitur. Sic Chananæi Deo devoti leguntur, *Num. 21.* omneſque ad interneccionem dati. Ita Hiericho, & Paulus optabat fieri anathema pro Judæis.

Hęc autem Devotio nonnunquam ſignificat impium factum, ut mulieris impudicæ, *Proverb. 7. 14.* Judæorum in Apoſtoli vitam crudeliter conſpirantium, *Act. 23. 12. 14. 21.* & nihil ſeipſum ex infirmitate nimia devoventis, affirmantiſque nihil ſibi eſſe negotii cum Chriſto, quem comitatus paulò ante fuerat. Tunc enim cœpit. καταναθεματίζειν, ſeipſum devovere, & jurare, dicens, non novi hominem, *Matth. 26. 74.* Ὁ δὲ inquit, *Marc. c. 14. v. 81.* ἤρξατο ἀναθεματίζειν καὶ ὀμνύειν, ipſe autem cępit execrari, infauſta ſibi imprecari, & jurare, dicens non novi hominem iſtum, quem dicitis.

Quid Devovere, Devotio, & devoti fuerint Ethnicis, ex teſtimoniis, & exemplis ſequentibus colligere licet.

Agamemnon, cùm devoviſſet Dianæ, quod in ſuo regno pulcherrimum natum eſſet illo anno, immolavit Iphigeniam filiam. *Cic. 3. Offic.*

In hac trepidatione P. Decius conſul, M. Valerium magna voce inclamat: Deorum, inquit, ope, Valeri, opus eſt, Agedum pontifex publicus populi Romani, præi verba, quibus me pro legionibus devoveam. Pontifex eum togam prętextam ſumere juſſit, & velato capite manu ſubter togam ad mentum exſerto, ſuper telum ſubiectum pedibus ſtantem ſic dicere: Jane, Jupiter, Mars pater, Quirine, Bellona, Lares, divi Novenſiles, dii indigetes, divi, quorum eſt poteſtas noſtrorum, hoſtiumque, diique Manes, vos precor, veneror, veniam peto, feroque, uti populo Rom. Quiritium vim, victoriamque proſperetis, hoſteſque populi Rom. Quiritium terrore, formidine, morteque afficiatis. Sicut verbis nuncupavi, ita pro Republ. Quiritium exercitu, legionibus, auxiliis populi Rom. Quiritium, legiones auxiliaque hoſtium mecum diis Manibus, Tellurique devoveo. Hæc ita precatus, lictores ire ad T. Manlium jubet, maturèque collegæ ſe devotum pro exercitu nunciare. Ipſe incinctus cinctu Gabino, armatus in equum inſiliit, ac ſe in medios immiſit. Conſpectus ab utraque acie aliquanto auguſtior humano viſu, ſicut cęlo miſſus piaculum omnis deorum iræ, qui peſtem ab ſuis averſam in hoſtes ferret. Ita omnis terror, pavorque, cum illo latus, ſigna primò Latinorum turbavit: deinde in totam penitùs aciem pervaſit. Evidentiſſimum id fuit, quod quacumque equo invectus eſt, ibi haud ſecus, quam peſtifero ſidere icti pavebant: ubi verò corruit obrutus telis, inde jam haud dubiè conſternatæ cohortes Latinorum fugam, ac vaſtitatem latè fecerunt. Simul & Romani exolutis religione animis, velut tum primùm ſigno dato cohorti, pugnam integram ediderunt. *Livius decad. 1. l. 8. anno urb. cond. 425.*

Anno urbis conditæ 593. ſeu motu terræ, ſeu qua vi alia forum medium fermè ſpecu vaſto collapſum in immenſam altitudinem dicitur: neque eam voraginem conjectu terræ cùm pro ſe quiſque gereret, expleri potuiſſe priùs, quam Deum monitu quæri cœptum, quæ plurimùm populus Rom. poſſet. Id enim illo loco dicandum vates canebant, ſi Rempubl. Romanam perpetuam eſſe vellent, tum M. Curtium juvenem bello egregium caſtigaſſe ferunt, dubitantes an ullum magis Romanum bonum, quàm arma, virtuſque eſſet. Silentio facto templa deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nunc in cœlum, nunc in parentes

terræ